

Post Innocentii Papæ obitum novis iterum cœpit urgeri infestationibus. Unde & iterum se defensura Romam adiit, & alterum ab Honorio Papa tertio privilegium obtinuit, per omnia præscripto simile. Unde non necessarium judicavi illud præsentibus inferendum. In hoc tamen ultimo loco epulturam esse liberam, insertum est, nisi spelendi aut excommunicati vel interdicti fuissent; salva etiam justitia illarum ecclesiastarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Datum Laterani X. Kal. (a) Junii. Indict. 9. Incarnat. Dominicæ anno 1277. Pontificatus vero Domini Honori Papæ tertii anno 5.

De Secunda Bertha electione.

Noveris, optime lector, summam rerum Ecclesiæ Gandesianæ sub Mathilde præscripta in vertice fuisse. Illa namque privilegiis, quæ ad posteros misit, potius, quid habuerint, quam quid modo haberent, insinuat, ut patebit. Mox enim illa vita perluncta, & res cœnobii quoque (ne personas dixerim) defecere pedetentim. Generosa proinde Mathilde humanis exuta, in Dominam Bertham hujus nominis Secundam, ex Nienborg Hassia Comitissam, vota sororum res cederunt, eamque in defunctæ locum Abbatissam Conradus Portuensis Episcopus, & à latere sedi Apostolicæ legatus, benedixit. Præfuit annis pene 30. ob que Ecclesiæ defensionem plurima pertulit.

*Quæ hic defunt in editione Meibomiana, exhibentur ex MSC. Gvelfe-
bytano Tomo II pag. 339. Script. Brunsvicensia illustrantium.*

XXXV.

ARNVLPHI GESTA MEDOLANENSIVM ex MSto.

Incipit liber gestorum recentium, ab Arnulpho compositus.

Gn hoc libro continentur gesta quorundam Italæ Regum ac Mediolanensium Antistitum, à tempore Hugonis Regis & Arderici Præsulis, usq; ad tempus scriptoris, & si quæ sunt præter hæc alia, illis inserta temporibus, prout occurserunt memorie scriptoris ejusdem. Quæ qvi scire desiderat, legat per singula, & procul dubio inveniet, unde pascat animum, non cibis laitoribus & copiosis, sed sanis ac digestilibus. Regum vero ac Pontificum nomina scripta sunt ante oculos subjacenti in pagina.

Otto Rex Burgundio.
Lotharius filius ejus.
Berengarius Longobardus.
Otto primus Teutonicus.
Otto secundus primi filius.
Otto tertius secundi filius.
Ardoinus Longobardus.
Henricus Teutonicus.
Huo non similiter [legendum puto: Chonradus similiter.]
Henricus filius ut pater,
Henricus filius.

Ardericus sedet annos XXII. menses II.
Manasses & Adelmannus simul quinq; fuerunt annis, non in cathedra sed in
arcu & pharetra.
Wulpertus sedet annis XVIII.
Arnulphus sedet annis III. mens. IV.
Gothofredus sedet ann. V. mens. I. dies XXIV.
Landulphus sedet ann. XVIII. mens. III.
Arnulphus sedet ann. XIX. mens. IX. dies VI.
Eribertus sedet ann. XXVI. mens. VIII. dies IX.
Wido sedet ann. XXVII.

Yyy y ;

ARNVL.

(a) In MSC. cit. Maji,

ARNVLPHI LIBER I. HISTORIÆ MEDIOLANENSIS.

CAPVT I.

MUltorum varios affectus multaque varia delectant studia, nec omnibus omnia, nec singularis satisfaciunt. Nimurum dispare mores ac non eadem saepe distrahit, naturæ unus multiplici conditione: de quibus in communis differere vel singulatum discernere, non est presentis negotii; sed nec humanæ potentiae. Valet ille solus, qui diversa largitur charismata bonus. Unde sic ait Apostolus: *divisiones gratiarum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus, dividens singulis prout vult.* Item alibi: *Unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* Verbi gratia: Litteralis scientiæ munus multis modis datur Deo distribuente, mortalibus. Spirituales mysteria interpretantur, spiritualibus spiritualia comparantes. Et adhac quis idonus? Utique non ego, qui non aliter quam venerando crede re, Jota unum aut unum ex his apicem præsumo discutere. Animales vero forensia multifariè perscrutantur, carnalibus carnalia conferentes. Inter quos, velut densas ac trondosas tenebroli nemoris arbores, verecundissime latitans, fidei tamen servus catholicæ, videri erubesco: scientiæ ut potè nudus, paucis admodum litteris, velut tenuissimis araneæ filis, leviter superindatus. Præterea cum jam in dicto presentis ævi tam diversa novarum quotidie rerum erumpant folia; miror, tot ac tam disertos vel uni eorum non insuflare scriptores. Nullis enim retrò temporibus talis ac tanta scribendi fuit occasio, doctis paritet & indoctis. Hæc animo revolvens, non mihi met ipse confido; quem exilis ingenii adeò paupertas angustat, ut difficilis videatur Aristotelici labyrinthi ingressus, Laboriosus valde Tulliani Palatii accessus. Fateor, me nunquam conseedisse curules quadrigi rotas. Nihil à me igitur carissime, quisquis es præter quod polliceor, exigas, videlicet verbis prolatam communibus simplicem gestorum narrationem, quæ nos Reges, nostrique gesse Pontifices, nostri quoque concives, in Urbe Mediolano vel extrâ; compatriote vero nostri in Regno Italico: quæ ipse vidi, vel quemadmodum à videntibus aut paulo ulterioris audi, prout etiam de thesauris prodeunt memoriae; cum nihil sit, quod à me ultra sperare debeas. Si forte recitantis culpa claudicat animus in auditis, saliet profecto confidentius in visis, nullius indigens testimonio. Quod si in praesentiarum scientes tædet lectionis hujuscem, non invideant saltu posteris ac scire fortasse voluntibus; præsebitim, cum solis illis ista providerim. Nisi enim præsca veterum gesta stylus commendaret utcumque, nulla prouersus præteriorum nobis supereffet memoria. Recondatur ergo interim sub modo nostrum hoc quæcunq; negotium, tempore proferendum suo; cujus privatum ac singulare volumen suæ limina Civitatis, rogo, nullatenus excedat. Quod si videtur hoc parum, extendatur ad Arcum usque Romanum.

CAPVT II.

Legitimus narrationis ordo à superioribus ad inferiora descendit. Sed quia ex præteritis pendet praesentia ab illis ad ea, quæ sunt in manibus, gestorum decurrat oratio: ita tamen, ut reliktâ vetustate, ex recenti memoria sumatur exordium.

CAPVT III.

Anno à Nativitate Christi nongentesimo XXV. regnavit in Italia ex Burgundionibus Ugo, qui, ut tutius ageret in Regno, egregiam inter cæteras Urbem Mediolanum sibi vindicare prævidit. Priscam namque noverat loci consuetudinem, ut decadente Metropolitano, unus ex majoris Ecclesiæ præcipuis Cardinalibus, quos vocant ordinarios, succedere debeat; quod à Romanis Præfulibus, ab ipsis quoque Imperatoribus concessum, sub auctoritate quidem canonum, testantur schedulae, in secretario reconditæ. Hujus rei gratia juniores filium in eadem ecclesia tonsurari decrevit. Sed quia in puerili aetate ad Episcopatum minime videbatur idoneus, grandavum senem interim subrogavit Antistitem, sperans, eum subito casurum. Qyoniam vero saepè numero cogitantem fallit opinio; prolixius vixit sacerdos; annis XXII. & mens. II, in sæculo. Quod ubi persensit, necem illico meditatur occultam. Statuto autem generali Papa colloquio cunctorum Regni Principum, Palatini ... jubente ex industria Cæsare, cum Mediolanensis litigabant; ut accepta occasione trucidaretur senex ille. Quibus rixantibus gravis pugna committitur, quæ feruntur interficti Mediolanenses nonaginta viri prudentes. Sed propitiâ Divinitate liberatus, evasit Antistes. Cumq; diutius non posset latete dolus, vehementer erubuit criminis tantireus; veritus etiam B. Ambrosium, cuius fuerat ille Vicarius.

CAPVT IV.

Factum est autem, ut, conventione dignæ satisfactionis, concederet Ecclesiæ pro nonaginta interfictis Abbatiam Nonantulæ, quæ propter nonaginta sui juris curtes sic vocata perhibetur; infuper

Insuper & Capellam auream cum Cruce, qvæ super altare in hyemalis Ecclesiæ sunt collocata tugen-
tio. De reliquo cum nimis insolenter ageret, ignorans sibi dictum: *Principem te fecerunt; noli ex-
tuli, sed esto in illis, quasi unus ex ipsis;* intolerabilis factus est universis. Praelecto itaque filio ejus
ab omnibus Lothario, admodum [f. juvne] communis consensu Regni totius compulsus est ipse re-
meare Burgundiam, de cætero minime regnaturus.

Per idem tempus orta est Mediolani perniciose seditio. Arderico enim Archiepiscopo ad su-
perna vocato, eruperunt duo adversarii, Ambrosianæ dignitatis ambitione succensi, Manasses vi-
delicit, Arelatensis Episcopus & Adelmanus Presbyter Mediolanensis revera immemores Aposto-
lici oraculi: *Non efficiamur inanis gloria cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Cumqve diu
contenderent, ille ex datione Regis, scilicet Burgundio; hic ex factione plebis & de Mediolano;
quinqvennio contra se invicem pertinaciter altercati sunt, factis partibus ex alterutro. Qvorum
execrabilis jurgio jacturam prægrandem sustinuit Ecclesia, præcipue in thesauris & cimiliis omnibus,
qvibus incomparabiliter affuebat. Inter hos fluctus natabat caute *Walpertus*, contrahens suo lateri
qvi undas consilii, usque adeo, ut, utrisque sponte vel invito cedentibus, sedem teneret ipse solus.
Demum, mortuo Lothario, regnavit *Berengarius* Longobardus ipse, qvem *Walpertus*, tunc
Archiepiscopus, suspectum habebat, conscientis ipse sibi. Cujus iram pr. avens, ne regiis præveni-
tur insidiis; legerat enim: *indignatio Regis nuncius mortis; fugam paravit, Ottone magne Theuto-
nicorum adiit Regem, suffragium postulans; moxqve illi regnum, se instante, pollicetur Italicum.*
Qva erectus Rex Otto fiducia, adscita sibi conjugi *Adeleida*, Italæ qvondam Regina, uxore vide-
lacet Lotharii, illico meditatur Regnum subripere Berengario.

CAPVT V.

Premissis igitur pro *Walpero* Legatis, pacem (a) implorat; qvam cum non impetraret,
direxit *Lithulphum* cum exercitu, suum ex altera conjugi filium. Oderant autem Compa-
triota Regem Berengarium propter nimiam uxoris tenaciam, qvæ *Willa* dicebatur, & suam
ex parte savitiam. Ideoqve destitutus à suis, properanti hosti minime valuit congregandi sed ingressus,
qod dicitur *Insula Sancti Julii*, municipium, resedit invalidus. Cum vero ex ploraret universa
Lithulphus qvidam familiares Berengarii milites, fidem debitam simulantes, promissa securitate
foraseductum, hostium manibus tradiderunt. Reversa *inimici hominis domestici ejus*. Intuitus au-
tem Lithulphus ait: *Confuse tibi Rex, & humiliare Magno Ottoni Augusto.* Si non fece-
ris, ipsum laedis. Cumqve humiliter responderet, rursus infit: *Absit à fide mea, ut vincam*
perfidia, qvi viribus superare contendo. Cave Rex a modo ab hujusmodi pseudomilitibus. Sic
fatus absolvit eum, deinceps strenue cuncta ministrans. O pia hostilitas, & hostilis pietas! Post-
ta vero pius ille perfidia Longobardorum fertur veneno necatus.

CAPVT VI.

Otro autem, licet privatus filio, conjugis tamen Augustæ *Adelhsida* fretus consilio; *Walper-*
ti qvoqve aliorumqve Regni Principum in manu: brachio extenti venit Italiam, *primus ex Ten-*
tonibus Imperator dictus Italicus. Cumqve illi subjecta fierent omnia, Berengarium ipsum, arce
qviadum robusta munitum, diuturna vallans obsidione subegit, filiis circumquaqe dispersis, *Widone*
Adelberto, & Conone. Illum vero cum filiabus & Conjugi captum, secum devexit in *Sveciam*,
ubinon multo post in amaritudine animæ diem clausit extremum.

CAPVT VII.

Odem tempore, obeunte *Walpero*, cathedralm suscepit *Arnulphus*, vere declinans à malo &
faciens bonum; cuius æqvivocus existo, gestorum scriptor ego præsentium, fratri vero illi-
us prænepos verus. Hujus in Episcopatu vita fuit triennis, factus nunc pro cætero dignitate
perennis. Cui successit *Gothofredus*, primo qvidem à Clero reprobatus & Populo, eo qvod sacer-
dotalem vel Leviticum nondum ascenderat gradum Subdiaconus tantum: extrema vero pace re-
ceptus, Regiæ fidelitatis gratia, contra filios Berengarii dimicavit. Qvorum *Widone* interfecto,
Conone pactione qvieto; *Adelbertus* cæteris animosior, diebus vitæ omnibus factus est in diversa
profugus.

CAPVT VIII.

Einde Ottone mortuo, regnavit pro eo ejus ejusdem nominis filius, acer in armis, sagax in-
genio; qvi Græcæ mulieris adeptus contubernium, industria sapientis *Adeleide* matris, Ro-
manum feliciter solidavit Imperium. Exiens vero à Germania, Romæ præsedidit, *Apuliam,*
Calabriam possestit, mustaqve geslit insignia; Imperatoria Majestate condigna. Hujus tempore
transfre-

(a) Otto Walpertum Berengario reconciliare studet.

transfretantes *Sarraseni* mare, conati sunt *Calabros fines* invadere. Qibus ex adverso congressus est Imperator, parvo licet suorum suffultus collegio. Qoniam vero parvorum ad plures impariores esse congressio, cum pugnasset multum, defecit ad ultimum. Quid plura? pugnando captus, ad classes usque protrahitur; occupaverant enim hostes vicina maris littora. Sentiens vero se nolle vellet, transvehendum, simulatis precibus postulabat, ut saltem unicam conjugem cum exiguo famularum obsequio, simul cum eo exulare permetterent, delaturam secum immensa auri & argenti pondera, promittens. Cumque foret permisum, viros adolescentes muliebriter superindutus, iubitus autem accinctos mucronibus, cautissime venire mandavit. Ubi vero ingressi sunt navem, illico irruentes in hostes, evaginatis ensibus indifferenter quoscunque trucidant. Interim saltu cito prosiliens Imperator in pelagus, natando evasit ad littus, liber & laetus. Unde terreti, transiverunt hostes ad propria. De cetero disponens æqvoreas undas potestate cum omni transmeare Italia, per universam Regnum dilatat militandi præceptum. Sed Deo aliter provideret, rebus excessit humanis, juxta illud: *Cor hominis disponit viam suam, Domini autem est dirigere gressus ejus.* Cui in Alamania partibus superfuit puer sui nominis filius, Rex mortuo patre creatus.

CAPVT IX.

Jam etiam successerat Gothofredo *Landulphus* Archiepiscopus, qui, propter nimiam patris ac fratrum insolentiam, gravem populi perperclus est invidentiam. Instabat enim præsolito Civitatis abuti Dominio. Unde Cives indignati, una sese conjurati strinxerunt. Inde civilis seditio, ac partium est facta divisio. Qibus assidue rixantibus, grande commissum est in urbe certamen. Videntis autem, se prægravari undique Præsul, nec posse sufficere, discessit ab urbe cum fratribus, reliquo Patre, qui fuerat jam senex & viribus imbecillis. Quamobrem Ecclesiæ facultates, & multa Clericorum distribuit militibus beneficia. Iterum autem, collecto ex diversis partibus agmine, confixit eisdem cum civibus in *campo Carbonaria*, ubi facta est plurima cædes utrinque. A quo bello ægre divertit hac etiam vice. In civitate autem quidam vernula, audita Domini sui nece, accurrens, Patrem Præsulis lecto jacentem cultro transfixit. Post hæc & alia multa, inspirante Deo, & interveniente consultu sapientum partis utriusque, nova pax vetera disolvit odia. Archiepiscopus enim, memor pastoralis diligentiae; Populus vero, recordatus oivilis obedientiae, donantes præterita, fœderati sunt pace perpetua. Præterea sentiens Præsul, se, diuersis facultibus, offendisse Ecclesiam, ut Clerum leniret ac populum, *S. Martyris Celsi* fundavit Monasterium, multisque dicitavit opibus; ubi completo dierum numero moriens, suo quievit in tumulo. Cui alter succedit *Arnulphus*, de quo dicetur posterius. Interim regnante *Ottone tertio* cum matre Græca, quidam Græcus, Græcae Dominae Capellanus, factus est *Placentinus Episcopus*. De quo dictum est, quod Romanii decus Imperii astute in Græcos transferre tentasset. Si quidem consultu & ope quorundam Romanorum, præcipue *Crescentii* cuiusdam prædivitis, Apostolicam sedem jam violenter invalebat, dejecto eo, qui tunc incederat, Venerabili Papa. Quo auditu, palam relata Svevia venit Otto festinus Italianam,

CAPVT X.

Nec mora; consilio habito cum Optimatibus Regni, Romanum arripuit iter cum Legionibus Latinorum ac Teutonicorum, terrefaciens cuncta in circuitu loca. Ad cujus introitum, Roma concutitur universa, Græcus ipse misericordiam clamat: *Crescentius* vero rebellionem patrat, Tyberina *S. Angelis* munitus in arce. Hunc Imperator undique obsidione circumdat, omnibus belli machinis quotidie oppugnans; donec pacto utcunque composito, illius se tradidit potestari. Qui statim in *prato Neroniano* jussus est decollari: *Stephania* autem uxor ejus traditur adulteranda Teutonibus. Pseudopapa vero Græcus effossis oculis, abscessis naso & auribus, dorso asina retroversus, manutenens caudam, totam distrahitur per urbem. Sic Roma ante mobilis, Regis quievit in oculis.

CAPVT XI.

Tempore præterito decreverat Imperator maternæ gentis sociari conjugio. Hujus causa consilii, prætatus *Arnulphus* venerabilis Archiepiscopus, Regia iussione præmonitus, mare transiens, *Constantinopolim* proficiscitur. Qui ab ipso admirabili Monarcha, magna suscepit honorificentia, satis Episcopaliter conversatus est in Urbe regia, ita carus, ut quidquid proposceret, facile impetraret. Composito tandem, propter quod venerat negotio, ab eodem Basileo decenter absolitus, reversionem accelerat.

CAPVT XII.

Intraea Imperator primo juventutis in flore defungitur *Otto*, in quo omnis Ottonum est consumpta propago. Tunc *Ardoinus* quidam, nobilis *Ipporegia Marchio*, a Longobardis Papia eligitur, & vocatur Cæsar ab omnibus. Regnum perambulat universum, Regio jure cuncta pertractans. Cognito

Cognito autem dicti Præfus reditu, occurrit ei in itinere obvius, securitate, qvanta valuit, sibi illum applicare procurans.

CAPVT XIII.

Eodem tempore *Henricus* creatus est Rex Alemaniæ. Inter hos de sceptro Italico ingens oritur contentio. In medio Principes Regni fraudulenter incidentes, *Ardoino* palam militabant, *Henrico* latenter favebant; avaritiae lucra scrutantes. Sic dictum est ad Hierusalem per Prophetam *Principes tui infideles, socii furum omnes, diligunt munera, sequuntur retribuciones.* Qvorum consilio *Henricus* direxit in Italiam suum cum exercitu Ducem. Cui occurrens viriliter *Ardoinus*, facta congressione in campo *Fabrica*, qvamplures stravit; cæteros extra fines Regni fugavit.

CAPVT XIV.

Tempore non longo post cum valida Teutonicorum militia properavit *Henricus* a Germania, ipso Italiae castra metatus in limine. Ex adverso *Ardoinus*, fidens viribus, nec minus armis instrutus, non tantum defendere, quantum in eum paratus insurgere, occurrit illi *Verona*. Sed deceptus perfidia Principum, majori militum parte destituitur. Cumque cessisset invitus, Regnum *Henricus* ingreditur, Rex statim electus; suoq[ue] post tempore Romanus Imperator effectus. Veniens vero *Papiam*, cum non ad votum sibi obtemperasset, uno totam concrematum incendio. Unde horruit omnis Italia, simile pertimescens. Abhinc, illius exinanita confidencia, hujus prævaluit ubique potentia. Veruntamen reassumptis interim viribus, *Ardoinus* iusta posse ultionem exercet in perfidos. Siqv[ue]dem postea *Vercellenium Urbem* cœpit, *Novariam* oblitus, *Cumas* invasit, multaq[ue] alia demolitus est loca sibi contraria. Ad ultimum labore confessus & morbo privatus Regno, solo contentus est Monasterio, nomine *Fruceria*, ibique, depositis Regalibus super altare, sumptoq[ue] habitu paupere, suo dormivit in tempore.

CAPVT XV.

Illis in diebus primus in Apuliam *Normannorum* fuit eventus Principum terræ consultu vocatus, cum Græci eam innumeris gravarent oppressionibus. Qvibus subactis & æqvore sulcato fugatis, considerantes Normanni *Apulorum inertiam*, regionis qvoq[ue] in omnibus opulentiam; eti pauci, invadunt ex parte Provinciam. Remissis etiam Legatis in patriam ad hoc horribilis cæteros, crescente paulatim numero, totam repleverunt Apuliam. Jure quasi proprio deinde possidentes, atrociores facti Græcis, Sarracenis ferociores; immo dejectis prioribus, surrexerunt Principes ipsi.

CAPVT XVI.

Henricus vero qvid de reliquo gesserit, qvomodo *Trojans*, nobilem Apuliæ Civitatem, obliterat, qualiter Marchiones Italiae qvatuor, *Ugonem*, *Azonem*, *Adelbertum*, & *Obizensem*, captione una constringerit; recitat non expedit. In fortitudine ejus omnis terra contremuit usq[ue] adeo, ut si qui reperti fuerint Ardoini fuisse partibus, aut fugerent, aut detractionem facerent. E qvibus *Astensis Episcopus*, propria relicta sede, *Mediolani* usq[ue] ad obitum latuit. Dederat enim Imperator, vivente ipso & abjecto, Episcopatum cuidam *Oldericu[m]* fratri *Manfredi* Marchionis eximii. Qvod factum Archipræsul *Arnulphus* vehementer exhorrens, consecrationem, qvæ sibi competebat, omni modo vetuit. *Oldericus* autem ille, sua fretus acfratris potentia Romam proficisciens, subreptione quadam se consecrari fecit a Pontifice. Qvod ubi innotuit Arnulpho, justa satis accenditur iracundia; non tantum Regia institutione, quantum Romana, qvod deterius videbatur, indignatus consecratione. Veniens ergo, in convenitu Mediolanensis Ecclesiæ anathematis jaculo consecrati transfixit audaciam: Deinde collecto undique exercitu copioso, cum suffraganeis simul Episcopis *Civitatem aggressus Astensem*, clausis in Urbe Marchione cum Episcopo, densissima obsidione vallavit: nec a populatione belloq[ue] destituit, donec pace composita, illius satisfactum est voluntati. Hæc autem fuit pacis conditio, qvod, venientes Mediolanum, tertio ab Urbe milliario nudis incedendo vestigiis, Episcopus codicem, Marchio canem bajulans, ante fores Ecclesiæ B. Ambrosii reatus proprios devotissime sunt confessi. Præterea Episcopus virgam & annulum suscepit Pontificatus super S. Confessoris altare depositus: qvæ postea, largiente Episcopo, pie resumpsit. Frater vero illius *Manfredus* Marchio donavit Ecclesiæ auri talenta qvam plurima, unde producta est *Crux illa pulcherrima*, qvæ usq[ue] hodie præcipue tantum geritur in diebus. Deinde nudis sicut venerant, pedibus per medium Civitatis ad Ecclesiam majorem *Sanctæ Theotocos* usq[ue] dœveniunt, ab Archiepiscopo & Clero, cunctoq[ue] recepti in pace populo,

CAPVT XVII.

DE reliquo *Arnulphus* sacerdotaliter suam regebat Ecclesiam, Clerum fovens ac populum; suisq[ue] plane vacans negotiis. Hujus beatitudinem plura Ecclesiis tradita commendant beneficia. Illius tempore S. Confessoris *Mone* revelatae sunt reliquiae in Ecclesia S. Vitalis juxta S. Naborem. Hic etiam fundavit *Cenobium S. Victoris Martyris*, in magno honore & copia frumentorum, in quo requiescit in pace sepultus. In cuius laude reddenda, quoniam dies non sufficit hodie, praefens claudatur (a) pagina, cum sit altera deinceps aperienda.

ARNVLPHI LIBER II. HISTORIÆ MEDOLANENSIS.

CAPVT I.

Superiori volumine audita tantum utcunq[ue] exsuflare tentavimus; nunc autem ea, qvæ ipsi videndo cognovimus, ex abundantia eructare studeamus. Cœlitus igitur vocato divæ memorie *Arnulpho*, consultu majorum Civitatis ac dono Imperatoria Majestatis, inthronizatur *Heribertus*. Qui ex quo prælatus est, suis & aliorum vacavit negotiis, pluribus intentus, grandia expertus; qvæ quidem narranda, non judicanda suscepimus. Cujus in diebus, *Henrici* consummatur imperium, prole nulla superstite. Tunc Papiones in ultionem incensæ urbis, Regium, qvod apud ipsos erat, destruxere Palatum. Factum est autem, ut simul convenientes in commune, tentarent de constituendo Rege Primates. Diversis itaq[ue] in diversa trahentibus, non omnium idem fuerat animus.

CAPVT II.

Intra qvæ talia fluctuante Italia, suorum comparium declinans *Heribertus* consortium, invitis ac repugnantibus, adiit Germaniam, solus ipse Regem electurus Teutonicum. Cumque Teutones sibi *Conradum* eligerent, eundem ipsum laudavit, omniumq[ue] in oculis coronavit, accipiens ab eo, præter dona qvamplurima, *Laudensem Episcopatum*; ut sicut consecraverat, similiter investiret Episcopum. Rediens vero securus in omnibus, totam suis legationibus evertit Italiam, alias aliosq[ue] benevolos faciens; donec suum electum fere omnes laudavere suscipiendum. Tali suffultus remigio veniens *Conradus* Italiam, ab eo, ut moris est, coronatur in Regno; deinde *Romanum* Duce commigrat eodem. In cuius adventu factus est ingens Romæ conventus diversarum undique gentium; Episcoporum qvoq[ue] ac sæcularium Principum, præsidente D. Papa *Johanne*.

CAPVT III.

Imminente itaq[ue] Paschali solemnitate, cum Rex *Conradus* in Basilica Apostolorum ad culmen Imperii, Apostolica foret consecratione sublimandus; *Heribertus* Ravennas Archiepiscopus tremare dextram Regis invasit ac tenuit, faciens, qvod *Mediolanensi* competebat Antifiti. Qvod cum omnium dilpiceret in oculis, commonebant eum Præsules ceteri, qvatenus à non suo delisteret. Nihilominus ille pertinaciter tenebat. Heribertus vero *Mediolanensis* Antistes, ne in die festo tumultus fieret in populo, sapienter multum popularem declinavit tumultum, cunctos lulos, adversari volentes, ab omni contradictione coercens.

CAPVT IV.

Rex igitur tumultuantium strepitu attonitus, cognita tandem rei veritate, gradum figura liter est concionatus: Certum est qvidem, Reverendi Patres, qvia, sicut Privilegium est Apostolicae sedis consecratio Imperialis, ita Ambrosianæ sedis privilegium est ele^ctio & consecratio Regalis. Underatum videtur, ut manus, qvæ benedicit & prius coronam imponit Regni, si præfens assuerit, repræsentet Regem ad Imperium promovendum S. Petro & ejus Vicario; qvatenus Ambrosiano testimonio jure possit imperare, qvi Ambrosiana consecratione didicit & cœpit regnare. Cumque hæc Regis omnibus placet sententia, dexteram Ravennati auferens, Ambrosianum jubet accersiri Pontificem: qvi prædicta vitandi tumultus causa venire distulit. Igitur consiliente Domino Apostolico & universis Episcopis, dexteram dedit *Vercellensi* Episcopo illius suffraganeo, ut pater in filio, magister videretur in discipulo; qvi in Imperiali consecratione *Mediolanensis* Archiepiscopi vicem tenuit. Post dies aliquos indicta est *Synodus Romæ* auctoritate Apostolica, in qua constitutum est, ut in omnibus negotiis Pontificalibus Ravennas nullo modo in æternum se *Mediolanensi* præferat Antistiti: &, si forte præsumferit, canonice legi subjaceat. Insuper placuit omnibus, in hac re conscribi *Tomum* (b) in sempiternum testimonium; de qvo pauca, de pluribus ista decerpsumus.

CAPVT

(a) Liber, in MS^{to} cum ipsa pagina finiens. (b) Tabulas;

CAPVT V.

Dum hæc agerentur, Mediolanenses cum Ravennatis altercabantur ad invicem. Igitur crescente iugio, congressi sunt adversus lese mutuo. Sed prævalente impetu & fortitudine Mediolanensium, Ravennates terga dederunt, magna ex parte vulnerati; qvos persecuti sunt adversarii usqve ad hospitia, sarcinas & omnem diripientes supellestilem. Ipse etiam Ravennas Heribertus vix aufugit, de manibus inseqvientium ereptus. Attamen postea illa omnis quievit controversia. Imperator vero à Romanis rediens partibus, commoratus est in Italia, donec subegit, si qvos habuit adversarios, patrocinante in omnibus Eriberto; & siluit terra in conspectu ejus.

CAPVT VI.

Contigit autem tunctemporis, *Laudensem* mori Pontificem; cumqve sua investitura, quemadmodum ab Imperatore susceperebat, alium subrogare decerneret, indignati *Laudenses*, infolitam sui Episcopatus constitutionem audacter despiciunt. Qvorum parvipendens *Eribertus* audaciam, elegit *Ambrosium* de suorum numero Cardinalium, Sacerdotem latis idoneum. Cui primo tradens virgam & annulum; deinde, ut moris fuerat, consecravit Episcopum. Qvo peracto, cuncta *Laudensium* violenter aggreditur oppida. Qvibus subactis, potestative tandem pervenit ad Urbem, suum secum deducens Pontificem: quam undique obsidione circumdans, perseveranter oppugnat. Cumqve cives viderent, se frustra resistere; proposita pacis conventione demum in commune deliberant, suscipiendum Episcopum. Ante portam enim Civitatis facta sunt palam juramenta promissæ fidelitatis; & sic jam dictus receptus est Episcopus, omnibus postea carus, doctrina scilicet & operatione præclarus. Ab illo autem tempore inter Mediolanenses & *Laudenses* implacabile viguit odium; unde postea per multa annorum curricula prædas & incendia, cædesque alternant innumeræ. *Mediolanenses* quidem, multitudine, divitiis ac brachiis virtute confisi, freqventer illos bello aggrediuntur, obsidione circumlepiunt, agros & vineas ac sub urbiam cuncta demolientes. *Laudenses* vero, exigui numero, sed truces animo, opibus angusti, viribus onusti; nunc suo nunc alieno se damno defendunt. Qæ si scriberentur per singula, plura fierent inde yolumina.

CAPVT VII.

His deniqve diebus mortuo *Burgundionum* Rege, proponit *Conradus* Burgundiam invadere; ad quam invadendam Longobardorum jubet properare militiam. Ipse vero ex contigua sibi parte abstrusos irrumpens aditus, municipia qvæqve præoccupat. Et vicino autem Italiam cum optimatibus cæteris electi Duces incedunt; scilicet Præsul *Heribertus* & egregius *Marchio Bonifacius*, duo lumina Regni, explorantes accessus illos, qvos reddit meabiles præcisa Saxa inexpugnabilis Oppidi *Bardi*. Per hos ducentes Longobardorum exercitum, *Jovis montis* ardua jugi transcendunt; siveqve vehementi irruptione terram ingredientes, ad Cælarem usqve pervernuunt. Cumqve neqvirent Burgundiones resistere, deditioem accelerant, perpetua subiectiois conditione *Conrado* substracti. Et factum est, ut in magna gloria reverterentur omnes ad propria.

CAPVT VIII.

Per idem tempus mense Junio in die SS. Petri & Pauli fervente meridie, Ecclipsis solis apparuit, tribus horis mundo inducens tenebras. Tempore post alio visa est noctu Luna, colore fulscata sangvineo.

CAPVT IX.

Multis igitur prosperatus successibus Præsul *Heribertus*, immoderate paululum dominabatur omnibus, suum considerans non aliorum animum. Unde factum est, ut qvidam Urbis Milites, vulgo *Vualvassores* nominati, illius insidiarentur opibus, adversus ipsum assidue conspirantes. Comperta autem occasione cujusdam potentis beneficio privati, subito proruunt in apertam rebellandi audaciam, plures jam facti. Qvod ubi innotuit Præsuli, parat multis consiliis obfistere illorum insidiis. Ubi vero nihil proficit, virtute superare contendit. Ac primum quidem bello vieti atqve pugnando vehementer attriti, execentes ab Urbe discedunt moerentes. Qvibus mox subveniunt *Martiani* atqve *Seprienses*, pluresque Regni commilitones, simul mori simul parati vivere; præcipue *Laudenses*, recentis injuria memores. Archiepiscopus autem collecto, undecumqve potuit, agmine non tamen absqve suis fidelibus, nititur inseqvi & universos opprimere. Cumqve reniti præsumerent: convenient in campo, qvæ dicebatur *malus ab aeo*, reæteqve malus, quoniam fuerat crux rigandus. Ibi commissio campestri certamine, facta est strages magna intersectorum partis utriusqve. Inter qvos dum incederet medius, jam dictus configit *Astensis Episcopus*, pars deniqve maxima belli. Cujus interitus certaminis factus est terminus. Hic amissio

tanto fratre confusus ; illi autem , occiso tanto hoste , securi recedentes à pugna , diverterunt ad propria. Igitur imminente tanto discrimine , providit Archiepiscopus vocare suum à Germania Cælarem , sperans illum futurum auxiliatorem. Veniens autem Veronam Imperator indeqve Mediolanum , honorabiliter die primo suscipitur. In crastinum , tumultuantे ac vociferante in eum populo , graviter offenditur. Audierat enim , Regem Laudensi jure defraudasse Heribertum. Qvod Augustus dissimulans , Papiam adiit ; ubi cum generale statuisset colloquium , concinnato dolo , cepit ac tenuit Archiepiscopum , Aqvileiensi tradens Patriarchæ custodiendum. Ecce Mediolanensis attonita inhorruit Civitas , proprio viduata Paflore , dolens ac gemens à pueru usque ad sénem. O qvæ Domino preces , qvantæ funduntur & lachrymæ. Cumqve proclaimarent assidue Clerus , populus arqve miles ; facta est de absolutione conventio , datis obſidibus Augusto. Qvibus receptis , nihilominus tenuit , tentans perpetuo damnare illum exilio. Qvi etiam tres alios una die comprehendit Episcopos , Vercellensem , Placentinum & Cremenensem. Archiepiscopus vero post menses duos fugam arripiuit. Cui venienti tota occurrit civitas ; ita hilaris , ut servus Domini , mulier non crederet viro præ gaudio , cursitantes. Ecce vespertinus Urbis fletus conversus est in matutinam lætiam. Videns autem se Conradi delusum , suum & Reipublicæ palam Heribertum denunciat inimicum. Igitur exiit edictum à Cæsare Augusto , ut cuncta suæ potestatis Regna ad Mediolanum concurrerent impugnandum. Factum est autem , ut omnis Italia , universa Germania , convenienter simul , ab angulo usque ad angulum. Ac primo qvidem qvoddam firmum agreditur municipium , nomine Landriatum ; qvod oppugnans , in modico demolitur. Inde applicuit Mediolanum , tertio ab Urbe milliario fixis tentoriis castrametatus. Mediolanenses autem prompti resistere , qvæque proxima Civitatis muniunt loca : e qvibus electi juvenes , armis compiti , bella edocti , volantes eqvis , pro ludunt telis , Cæsarianis insultando militibus ; & gyranter caltra , clypeo minantur & hasta , proximos qvosque cædentes. Cumqve per dies aliquot hæc exercerent præludia , factum est in die Sancto Dominica Ascensionis , Cæsariani omnes suo cum Cæsare cætris erumpunt ; Teutones in dextro , Itali in sinistro bella cientes. Civibus vero occurrentibus exadverso , ingratuum est undique bellum , diversis in diversa pugnantibus. In prima fronte nobilis qvidam Teutonicus , statura procerus ; & Wido , Italicus Marchio , signifer Regius ; intermedia tela confixi sunt. Qvibus cadentibus multisqve aliis in proprio cruento jacentibus , paulatim belli repescit amor. Demum Cæsariani collecto agmine ad castra commigrant : Urbani qvoque , relictis campis , propria testa reqvitunt. Igitur recedens ab Urbe Cæsar , jubet cuncta in circuitu , prope longeque , vastari loca. Cumqve flammis cuncta consumerent , crebris fulminum ictibus & grandine a tempestate correptus , à coepio desistens , recessit mœrens. Qvin etiam Bertalus , Regi à secretis , cuius cuncta fiebant consilio , insanæ mox mentis efficitur. De qvo cum Rex leniri debuerat , magis intumuit , in tantum , ut Heribertum adjudicaret propria dignitate privandum. Stabilita igitur deliberatione , Præsulatum tradidit Ambrosianum Mediolanensis Ecclesiæ Cardinali Presbytero suoqve Capellano , etsi videntibus , non tamen volentibus Episcopis. Qvo Heribertus audito , de Rege similiter tractat honore privando. Secreta igitur legatione suggestit Oddon , potenti Francorum Comiti , ut , se favente , arripiat Regnum Italiam. Qvin nihil moratus , ut pote regnandi avidus , primo qvidem aliquas Alamaniæ partes violenter invadit. Hunc impugnans viriliter Dux Gotfredus , vehementi facta congreßione , in momento prostravit , ejusqve caput avulsum humeris , fertur Augusto in Italiam direxisse. De cætero Imperator annuam Mediolani vastationem universos Regni primates jurare præcipiens , obstinato animo repatriavit in Sveiam , æger pedibus , & cunctis debilis artubus. Interea Pseudo Ambrosius palam gerens virgam & annulum , ut lupus in abdito clam insidiabatur omnibus modis Heriberto , multis multa qvotidie jurando pollicitus Clericis atqve Laicis , in Urbe & extra factione concepta. Ubi autem fidelium dignitas perfidorum sensit insidias , deprehensos in criminis puniunt in perlonis & propriis facultatibus ; & sic , prævalente Heriberti potentia , evanuit omnis illa fraudulenta præsumtio. Per idem tempus tactum est , ut cuncti Principes Regni simul undique convenienter ad devstandos , sicut Regi promiserant , Mediolanensium fines. Prævidens autem Archiepiscopus futuram oppressionem , jubet illico convenire ad Urbem omnes Ambrosianæ Parochiæ incolas armis instructos , à rustico usque ad militem , ab inope usque ad divitem , ut in tanta cohorte patriam tuerentur ab hoste. Signum autem , qvod dimicatueros suos debebat præcedere , tale constituit. Proceris trabs , instar malinavis , robusto confixa plastro , erexitur in sublime , aureum gestans in cacumine pomum cum pendentibus duobus candidissimi veli lumbis. Ad medium veneranda crux , depicta Salvatoris imagine extensis latè brachiis , superspectabat circumfusa agmina , ut , qualiscumqve foret belli evenitus , hoc signo confortarentur inspecto. Fuisset gravis inter urbem Regnumqve conflictus , nisi novus de morte Cæsaris rumor concuteret animos hostium , adeo ut , solutis castris , certatim resurgent ita confuse , ut colliderentur ad invicem. Inter qvos Parmensis corruens signifer , turpiter occubuit.

CAPVT

CAPUT X.

Defuncto autem Conrado, *Henricus* adolescens, ejus filius, Rex vivente patre creatus, Augustus ab omnibus appellatur; Vir Reipublicæ gerendæ satis idoneus. Qui paterni animi non imitatus affectum, suorum consultu fidelium, cum Archiepiscopo pacis foedera stabilivit, ab illo deinde fideliter honoratus. Pacatis igitur rebus omnibus, intestinum jurgium bellumque civile sucedit, adeo execrandum & lachrymabile, ut præter innumeras bellotum clades immutatus sit status Urbis & Ecclesiæ. Verissime enim *otto civiles nutrisuntur discordia, & sepe velut ex adipe prodit iniquitas.* Nullis itaque exterius adversantibus, in semetipsos exercent odia Cives. Factum est autem, ut, privato inter se jurgio, plebejus qvidam graviter cæderetur a milite. Unde plebs designatur, commotaque repente adversum milites, in arma consurgit. Ipsi autem velut incauti, juxta posse resistunt. Inde fomes pullulat odiorum, & partium fiunt juramenta quam plurima. *Lanzo* quidam ingenuus Civitatis miles, plebeja turbæ favebat instantius; cuius fota juvamine, plurimum convalescebat. Hoc indignata cætera Nobilitas, partim tamen amore suorum fidelium militibus sese consociat. Eodem tempore multa somnia, multa narrantur in Urbe prodigia. Cumque Civitas tali penderet in dubio, repentinus auditur in ea clamor, modica occasione conceptus. Fitingens concursus omnium; atrox pugna committitur; per plateas & angulos diu certatur utrinque, teatris & culminibus. Denum militum paucitas, multitudine circumventa plebeja undique flammis urgetur & ferro. Unde factum est, ut cum natis & uxoribus propria teatrica irati detererent. Qvorum ut consuleret rebus Archiepiscopus, paucis interjectis diebus, ab Urbe discessit & ipse. Qvibus etiam statim fiunt in auxilium *Martini* & *Sepriensibus.* Tali ergo confortati suffragio, consulte provident sex propinqva Urbi munire praedita; in quibus cum omni cohabitantes familia, firmissimam circum quaque obsidionem coniungunt, die noctuque cæde graffantes. Sex enim exeuntes ab Oppidis, totidem oppugnant urbem assidue partibus. Nec minus civilis turba sæpe portis erumpens, nunc se pugnando defendit, nunc ultra illos aggredi furibunda contendit. Rara namque transit absqve sanguine dies. Cumque triennio partes sic baccharentur, utræque vicissitudine quamdam, qvid contra se invicem possent a freqventer expertæ: veniunt ab Augusto Legati, treugam inviolabilem indicentes, quam totius Regni virtute & consilio, jurejurando confirmant.

CAPUT XI.

Eodem tempore Archiepiscopus *Modestus* degens graviter infirmatur. Cumque ægrotaret ad mortem disposita domo ac bonis omnibus, deterri se jubet ad urbem; ubi cum aliquantis langueret diebus, vitæ præsenti subtrahitur. Sepultus est autem ad *S. Dionysium*, ubi elegans fundaverat ipse Monasterium. Providet etiam vivens universis Ecclesiæ ordinibus, plures conferens facultates ad præsentium futurorumque subsidia. Hujus in diebus cuidam *Gennensis* urbis incolæ revelatae sunt *Johannis* Archiepiscopi Sacrosanctæ Reliquiæ. De eo cum sufficienter sicutum, cesset a modo noster ab illo stylus, cote jam tertia subtiliter acuendus.

ARNVLPHI LIBER III. HISTORIÆ MEDIO LANENSIS.

CAPVT I.

Memini dixisse me nuper, propter civile jurgium mutatum Urbis & Ecclesiæ statum. Utrum vero in melius an in deterius, dicere non oportuit, cum facta collatione præteriorum ad præsentia facilis fiet inde cognitio. Atque utinam nescirem; quæ tamen omnia melius scribendo parebunt. Defuncto autem *Heriberto*, varie tentatur a multis de restituendo Pontifice. *Henricus* vero Augustus, jam dictum habens præ oculis Mediolanense dissidium, neglecto nobili ac sapienti primi ordinis Clero, idiotam & arure venientem elegit Antistitem, cui nomen fuerat *Vide*. Revera fulsulit eum de gregibus ovium, & deposit foerentes accepit eum. Huic facto parum repugnant Mediolanenses, sive timore *Regio*, seu inter se odio, partim avaritia: quæ, ut sapiens qvidam ait *Hagiographus*, omne malum primo invexit Italiam. Et exinde omnia vertuntur in pejus. Factum est autem postea, ut in feso conversi, unusquisque alter alterum conveniret, iuum conferendo opprobrium nec non Civitatis incommodum. Demum post multa cosilia, mediis Sacrosanctis Evangelii, conjungunt foedera pacis, facientes quidam *amnistiam*, id est, abolitionem malorum, quam Athenienses primi fecisse & sic vocasse leguntur, *Orosio* teste.

CAPVT II.

Tempore illo Cæsar *Henricus* Italiæ veniens, celebrato *Papia* Synodali Concilio, *Romam* tendit; cui Papa obviavit, *Placentia* vivente altero, ac concedente intronizatus. Facto autem Romæ generali conventu *Præfulum*, visum est Regi & Episcopis omnibus, Papam ipsum

ipsum injuste tenere Cathedram. Qvo statim abjecto , unum ex Teutonibus Praesulem illius loco substituit , qvem multato nomine *Clementem* vocavit , a qvo etiam coronam suscepit Imperii. Tertius ab eo *santus* claruit *Leo* , cuius industria Romane status reparatur Ecclesiæ. Qvige minam in Italia Synodum devotissime celebravit ; *Papiæ* scilicet atqve *Mantua* , absente *Cæsare*. Cui cum misericorditer displiceret oppressio illa vehemens , qva impiissimi *Normanni* miseram affligunt Apuliam , prædicatione mixta precibus tentat illos a tantis revocare flagitiis. Cumque nihil proficeret , armis aggreditur ipsam compescere feritatem : licet illi adversus belli fuerit exi-
tus. *Judicia enim Dei abyssus multa.*

CAPVT III.

HIs diebus Marchio Montisferrati *Bonifacius* , dum nemus transiret opacum , infidiis ex obli-
quo latentibus venenato figitur jaculo. Heu senex ac plenus dierum , maturam mortem
exquo p̄occupavit.

CAPVT IV.

Illo autem tempore placitatur Imperator in pratis *Ronchalia*. Discussis vero querelis , pluri-
bus , legaliter multa examinat. Ubi Marchionem *Adelbertum* . de qvo nimia fuerat procla-
matio , cum aliis flagitiosis captum , ferreis jubet vinciri nexibus. Eqvidem digne satis !
Deinde diebus multis , modo cum *Ungaris* , modo cum *Leuticiis* pro modo configebat. De qvi-
bus omnibus nobiliter triumphavit , viatos tributo coarctans. Cujus unum insigne trophæum
aurata indicat *Lancea* , Ungarorum Regi violenter extorta , & Romæ in Apostolorum templo
suspensa. Qvicum insigni floraret Imperio , carus omnibus migravit a seculo , relinqvens sui
nominis puerum , Augustæ *Agnesis* materno gremio confovendum.

CAPUT V.

HUjs regnante infantia , *Papienses* ab eo , ut moris est , datum aspernantur audacter Ep̄-
scopum , nec Regiæ institutioni , nec Apostolicaæ deferentes factæ consecratione ; usqve
ad obitum sp̄cipe perseverando Pontificis.

CAPUT VI.

HIs itaqve diebus inter ipsos & *Mediolanenses* de causis civilibus emergit dissensio. Fuerat e-
nim Civitas utraqve populosa , & super Regni cæteras inclita : Veruntamen in notitia o-
mnium p̄stlabat Mediolanum. Cumqve essent contiguae pudebat alteram alteri cedere.
Inde erat , qvod sibi rependebat ad inficem cædes , prædas & incendia , nec non & Latrocinia.
Factum est autem , ut *Papienses* , dum inferiores essent , conductis aliunde pretio legionibus ,
ad devastandos Mediolanensium fines accederent : Mediolanenses vero confederatis sibi Lauden-
sibus in illos insurgerent ; licet pars eorum non minima ; Archiepiscopo Duce alii dimicaret inpar-
tibus. Conveniunt utræque in campis acies , ordinatis agminibus vexilla in sublime ferentes:
fit vehemens partium in se concursus ; bacchantur certando diutius. Tandem divertunt *Papien-*
ses a bello , adversariis inseqventibus illos a tergo. Qvibus mox viriliter succurrerit conducta extra-
neorum Legio ; licet paulo post cessere , reliquo Mediolanensibus campo. Fit strages immensa
Nobilium Equitum , & duarum Urbium lachrymabile detrimentum. Implevit denique dies illa
veteris idioma vocabuli. Dicebatur enim antiquitus *campus* , in qvo confixerant , *moriunti*.

CAPUT VII.

PEr idem tempus ad instar *Papiensium* *Astenses* qvoqve datum sibi reprobarunt Episcopum. Sed
prudentia Comitissæ Adeleidae , militaris admodum Ducis , post longi temporis conflictus
incensâ tandem Urbe , contemptu altero , qvem elegerant , priorem suscipiunt.

CAPUT VIII.

H Aceadem tempestate horror nimius Ambrosianum invadit Clerum , insurgente populo no-
viter in eum , insurgentibus undiqve peccatis. Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dñi.
Verum talis hic horror , mutata cum aspiratione Littera , multorum concepit terrorem. Cu-
jus initium & seriem , cum res nostris adhuc versetur in oculis , prout possumus , enarramus.
Finem ipse provideat , qvi , cum sit Alpha & Omega , mirabiliter cuncta dispensat. Quidam
igitur ex Decumanis Diaconus , nomine *Arialdus* , penes *Widonetum* Antistitem multis fotus deli-
ciis multisqve cumulatus honoribus , dum litterarum vacaret studio , severissimus est divina Legis
factus interpres , dura exercens in Clericos solos judicia. Qvi cum modicæ foret auctoritatis ,
humiliter utpote natus , prævidit applicare sibi *Landolphum* quasi generosiorem & ad hoc idone-

MM

am, familiaris ejus factus assēcla. Landulphus vero cum esset expeditioris lingvæ ac vocis, minus. que favoris amator, repente Dux verbi efficitur, usurpato sibi contra morem Ecclesiæ prædicatio- nis officio. Hic cum nullis esset gradibus ecclesiasticis alteratus, grave jugum sacratorum impo- nebat cervicibus; cum Christi jugum l'vare, & ejus leve sit onus.

CAPVT IX.

Igitur inter alia, qvæ quotidie plebis auribus inculcabat, die una taliter concionatur in populo: Carissimi Seniores, conceptum in corde sermonem ultra retinere non valeo. Nolite Do- mini mei, nolite adolescentis & imperitiverba contemnere. Revelat enim Deus s̄e minori, quod denegat majori. Dicite mihi, creditis in Deum Trinum & unum? Respondent omnes: credimus; & adjecit: munite frontes signo Crucis. Et factum est. Post hæc ait: Condelector vestrae devotioni: compatiōr tamen imminent magnæ perditioni. Multis enim retro temporibus non est agnitus in hac Urbe Salvator. Diu est, quod erratis, cum nulla sint vobis vestigia veritatis, Produc palpati tenebras, cœci omnes effecti; qvoniā cœci sunt Duces vestri. Sed numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt? Abundant enim stupra multimoda: harēsis qvoqve illa Simoniacæ in Sacerdotibus & Levitis, ac reliquis sacrorum ministris; qvicum Nicolaite sint & Simoniaci, merito debent abjici: à qvibus, si salutem à Salvatore speratis, deinceps omnino cavete, nulla eorum venerantes officia. Qvorum sacrificia idem est, ac si canina fuit stercore, eorumqve Basiliæ jumentorum præsepio. Qvamobrem, ipsis à modo reprobatis, bona eorum omnia publicentur. Sit facultas omnibus, universa diripiendi, ubi fuerint, in urbe & extra. Nam & ego plectenda plura commisi; sed quod pejus omnium fuit, indignis usq; modo communicando, Regem cœlorum offendì. Nunc autem propiciâ Divinitate ago pœnitenti- am, talia provisurus in posterum. Igitur imitatores mei estote, carissimi & ita ambulate, sicut habetis formam nostram.

CAPVT X.

His ita decursis, & pluribus aliis, qvæ humana non capit memoria, semper avidus novorum, in nimium zelum excitatur adversus Deum; aliis se deferre Deo putantibus, aliis avaritiae lucris intriantibus. Ad hæc *Landolphus* idem, simul cum complice *Arialdo*, per dies multos moltorum incitat animos gratia favorabilis auræ, nova & inaudita concionando proponens, prout noverat vulgi morem. Ad cujus compescendam temeritatem maiores Ecclesiæ s̄e conve- niunt, sacras illi scripturas & sanctiones opposentes canonicas. Qvæ despiciens omnia, nihilominus instat. Immo die una solemnii ad Ecclesiam veniens cum turbis, p̄fallentes omnes violenter proicit à Choro, infeqvens per angulos & diversoria. Deinde providerit callidè scribi pittacium de castitate servanda, neglecto canone mundanis extortum à legibus, cui onines facri ordinæ Ambrosianæ Diœccesis inviti subscriptiunt, angariante ipso cum Laicis. Interim prædones Civitatis, preter ædes aliquas in Urbe directas, iustabant Parochiam, domo Clericorum scrutantes, eo- rumq; diripientes substantiam. Clerus igitur multipliciter affectus, legatione humili conquestus est primo conprovincialibus Episcopis; deinde Romano Pontifici. Præerat tunc Romæ Stephanus: qui audit a perpendens, populum qviescere, & Archiepiscopum super hac re synodum congregare, Apostolicis jubet apicibus. Qvæ tretus auctoritate *Wido* Præsul, diligenter studet cœtum congregare Pontificum, mandans *Landulfo* & *Arialdo* rationabiliter, interesse tractandis.

CAPVT XI.

Factus est autem Synodalis Præsulum conventus in loco, qvi dicebatur *Fontanetum*. Ubi cum triduo spiritualibus vacarent negotiis, illorum præstolantes adventum; visum est omnibus te- meritatem tantam anathemate justo fore mulctandam; factumq; est ita. Qvæ omnia flocci- pendens *Landolphus*, cum vereri debuerat, magis extollitur. Exhinc conviciatur Episcopis, præ- cipue Metropolitano: furens solos favit in Clericos, arguens illos suæ suorumq; perditionis; Laicos vero fovebat ut fratres. Cumq; foret simulandi ac dissimulandi gnarus per omnia, pluri- bus dilectus, cuncta suum retrorq; vebat ad libitum, factus ipse mirabile mundo spectaculum. Un- de porestate accepta, commune indicit omnibus Lacis juramentum, qvæsi impugnanda propo- nens sacrorum ordinum stupra, venales consecrationes; qvod non multo post Clericos etiam ju- tate compellit. Ab illo autem tempore innumerabilis virorum ac mulierum caterva illum comita- tur; euntem stantemq; diu noctuq; custodiunt. Qui unanimes facti Ecclesiæ contemnunt, & divina spernunt cum Ministris officia afferentes omnia Simoniacaca. Hostales cætera (a) vulga- litas

(a) Vulgus.

litas ironice (a) *Patarinos* appellat. Præterea *Romam* proficiscitur Arialdus, apologeticas ferens litteras. Ubi cum Ambrosianum accusaret Clerum, affirmans, omnes Nicolaitas Simoniacos, ac prorsus inobedientes Romanæ Ecclesiæ: se autem cum Landulpho devotum, & pro sola veritate certantem; Romanorum celeriter adeptus est gratiam. Qui cum principiari appetant jure apostolico, videntur velle dominari omnibus, & cuncta suæ subdere dictioni; cum tamen Doctor evangelicus suos doceat humilitatem Apostolos, dicens: *Reges gentium dominantur eorum, qui potestatem habent, benefici vocantur.* *Vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut Minister.*

CAPUT XII.

TUrbinis igitur causa præfati, sapenumero veniunt Mediolanum à Roma Legati, videlicet *Hildebrandus* ex monacho Cardinalis Archidiaconus, *Petrus Hostiensis*, *Anselmus Luccensis* Episcopus, & reliqui plures, vice quisque sua. Qui si in conveniendo populum diligenter attenderet dicentem Apostolum: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non esset;* profecto sibi & Clero opportune consulerent. Veruntamen Hostiensis ille Petrus, congregata tunc Mediolanii Ambrosiana synodo, ut vidi clericorum nobilium ordinem, personarum statum cultum, quæ vestium; perpendit etiam morum probitates ac dispartita singulis competenter officia: te status est ad verum, nusquam se talem vidisse Clerum. Tamen in præsenti cœtu, quia Romanus erat, Archiepiscopo præsidere contendit. Unde subito factus est popularis in Urbe tumultus; & nisi cessisset illius humilitas, quod suum erat, fecisset impetus, non quidem gratia *Widoniæ*, sed Ambrosiani causa honoris. Præterea cum perciperet quorundam ex Clero reatus, servata sibi super omnibus potestate, prout sibi complacuit, culpas dijudicavit. Ut enim caveatur mendacium; non ex toto fuerant omnes ab objectis immunes. Deinde rude constitutum abolito veteri, Mediolanensi Ecclesiæ à se factis indidit litteris. Cui Archiepiscopus cum ordinariis, co gente ac vociferante populo, subscriptis invitus.

O insensati Mediolanenses, quis vos fascinavit? heri clamatis unius sellæ primatum; hodie confunditis totius Ecclesiæ statum: vere culicem liquantes & camelum glutientes. Nonne fatus vester hoc procuraret Episcopus? Forte dicitis: veneranda est Roma in Apostolo; est utique. Sed nec spernendum in Ambrosio Mediolanum. Certe, certe, non absque re scripta sunt hæc in Romanis annalibus. Dicitur enim in posterum, subjectum Romæ Mediolanum. Ecce, Metropolitanus vester præ solito Romanam vocatur ad synodum. Abiit: sed contra vestros affectus prosper fit illi ad cuncta successus. Dicibiliter (a) quidem tractatur ab Apostolico tunc *Nicolaio*, cuius dextro positus est in præsenti synodolatere. Ad quem accusandum cum Arialdus ille delator assurgeret, protinus ex adverso stantes *Astensis*, *Novariensis* & *Taurinensis*, & alii suffraganei Praefules; coram omni cœtu falsidicum illum scripturarum auctoritate refellunt. Sieque confutatus ab omnibus, resedit in terra confusus. Proinde cum Archiepiscopus promitteret D. Papæ deinceps obedientiam, acce pto ab eo annulo Apostolicæ gratiae ac totius potestatis Ecclesiasticæ, rediit gloriosus in omnibus. Interim, dum hæc fierent, *Landolphus* Romam adire propensis, à *Placentinis* graviter cæsus & vulneratus revertitur, ultra properare non valens. Post hæc non cessat persequi gravius solito cum Clero Pontificem.

CAPUT XIII.

CUM vero placuit Altissimo, qui renes scrutatur & corda: ille, qui alienam diu meditatus fuerat lassitudinem, inopinam subito doluit suam ipsius ægritudinem: cumque langueret bīennio pulmonis vitio, vocis privatur officio, ut, in quo multos affecerat, in eo quoque deficeret; dicente scriptura: *Per quæ quisque peccat, per hec & torqvetur.* Sed ne mortuos accusare videamus, de illo penitus taceamus; cuius vita mortisque ratio divino est relinquentia judicio, Arialdus itaque tali destitutus Collega, instigat *Arlembaldum* assidue, defuneti fratri vicem fulcere. Qui cum esset laicus, quasi fraternali gratia pietatis, opus sibi præsumbit indebitum; Arialdi verbis adeo credulus, ut, quos frater flagellis ceciderat, ipse percutias scorpionibus, & residuum locustæ comedat bruchus! ad placitum, si quæ sunt, Clericorum peccata dijudicans. Dum ergo laicus judicat, Clericus tantum vapulat.

CAPUT XIV.

INTERA Arialdus inter plures alias, quas induxerat in Ecclesiam novitates, *Lætanias* illas, quas Ambrosiani post Ascensionem Dominicam antiquitus devotissime celebrant, suis prædicabat auditoribus execrandas. Unde ipso instante, triduo dissidentibus inter se turbis, factus est in Urbe confli-

(a) Hæresis Paterinorum dicitur *Pataræ*, exorta apud Mediolanum. Du Cange. De derivatione vocis *Pattarinum* videantur cogitationes Arnulphi nostri libr. 3. cap. 33, ex quo loco apparet, ipsum autorem nescivisse veram rationem etymologiam, (b) ut decet,

conflictus : in quo est, Deo operante , fugatus & victus , cæsis suis , & imperfectis aliquibus. Cu-
jus tamen consultu *Arlembaldus* præter innumerias , qvas irrogaverat Clero injurias , cum Archi-
episcopus , defuncto Abbate *S. Celsi* , alterum ex more provideret ordinandum , penitus interdicit
spretu illo ; alterum jam consecratum omnino contemnit , armans contra illum Monachorum cum
tamulis conspirationem. Alium vero à cœnobio *S. Vincenti* modo repellit eodem , simoniacaे or-
dinacionis arguens illos. Quid plura ? cuncta simul usurpat Ecclesiastica jura , expulso ab urbe Pon-
tifice , cuius fuerat à progenitoribus miles ipse.

Mirabile prodigium , nec auditum neque visum à seculo : sed mirabilius , qvod Romanus fue-
rat assensus. Qvod qvidem multis probatur indiciis ; cum sèpenumero mittantur ei Legationes &
littere , Apostolicis prænotatae sigillis ; qvibus fatetur , se in luis gestis Romanis obtemperare præ-
ceptis. Qva velut auctoritate suffulta vulgalitas , simoniaca occasione divina execratur officia . cum
qvid sit inter dextram & sinistram , penitus ignoret. Præterea gloriabatur *Arlembaldus* idem , ab
ipsa Roma bellicum *S. Petri* se accepisse vexillum contra omnes sibi adversantes , qvod appensum lan-
ce , homicidiorum videtur indicium : cum profecto nefas sit tale aliquid suspicari de *S. Petro* , aut
aliud habuisse vexillum , præter qvod datum est in Evangelio : *qui vult venire post me , abneget seme-
ipsum , & tollat crucem suam , & sequatur me* , dicit Dominus. Fideliter & idco confidente loqui-
tur. Cavenda est Doctoribus absolute prolatæ Pauli sententia : *si quis vobis evangelizaverit prater
id , qvod accepisti , anathema sit*. Hæc dicentes , non adversamur vobis , ô ieniores Romani . cum
Magister noster dicat Ambrocius : Cupio in omnibus Romanam seqvi Ecclesiam. Vobiscum enim
credimus , vobiscum cunctas hæreses abdicamus. Sed videtur nobis ratum , ut jus Ecclesiasticum
Doctor exhibeat Ecclesiasticus , non idiota Laicus.

CAPVT XV.

*H*is diebus , declinante jam vere , mensis unius spatio , dirum sparse e jubar ardentes in cœlo
cometæ. Frequentes quoque terræ motus mundo fuere , adeo , ut die ipso Resurrectionis Do-
minica bis fieret , mane scilicet & vespere.

CAPVT XVI.

Praerat tunc temporis Romæ *Alexander* Apostolicus , ex Mediolanensi Clero Ecclesiæ Lucen-
sis primo factus Episcopus. Cumqve fatus foret idoneus , Apostolicam deinde promeruit di-
gnitatem , *Alexander de Anselmo* vocatus. Huic statim surrexit adversarius *Cadalous* Parmen-
sis Episcopus , institutione Regis ac matris Augustæ Papa nuncupatus : qui hostiliter Romam adiit ,
post multam intersectorum stragem usqve ad muros urbis Alexandri persecutus exercitum. Tenu-
pore post alio qvorundam ex urbe ope & consilio *Romans* , qvam novam perhibent , ingressus , con-
fendit arcem *Crescentii*. Factis igitur in urbe partibus , qvoridie bella succedunt. Ad ultimum
post diuturnos variosqve conflictus recessit , mœrens , confusus & victus , concessa *Alexandro* vi-
ctoria. Ad qvem de præsenti negotio consulendum Romani profectus est *Arlembaldus* ; *Arialdo* in-
terior furente in Præsulem , concitando turbam civilem & agrestem.

CAPVT XVII.

Dfinito tandem consilio rediens , excommunicationis literas detulit Archiepiscopo. Qvod
pluribus grande visum est civitatis opprobrium. Unde factum est , ut in die Sancto Penteco-
stes procedens Antistes ad publicum , concenderet Ecclesiæ pulpitum , uestitus , qvod
acciderat incommodum. Cumqve staret ex adverso *Arlembaldus* cum *Arialdo* , responsurus audi-
tis : fit vehemens in plebe tumultus , diversis diversa clamantibus. Ad ultimum facto in medio Ec-
clesie clamoso impetu , vicissim in lese consurgunt. Cumqve per diversa configerent , remansit
pene solus Antistes. Qvem pars aggrediens inimica , fustibus crudeliter cæsum & qvæsi semivivum
reliquit. Deinde ipsam invadens Episcopi aulam , pretiosa qvæque decerpit. In crastinum vila-
tanta crudelitate , cives horrescant mente confusi. Communiter igitur statuunt , aut tantum pu-
nire facinus aut vivere nolle amplius. Unde factum est , ut fugiens *Arialdo* ab urbe , diebus late-
ret aliquot. Cumqve diversas erraret per latebras , solis gradiens noctibus : proditus à comm-
antibus , incidit in manus potentium animam ejus. Qvem tenentes , & nocte tota illa secum du-
centes , facto mane præcisus auribus , & in gulture lingua cum naribus , geminoqve suffosso lumi-
ne , penitus interficiunt. Qvo peremto , dissimulat *Arlembaldus* modicum , reservans iram in
postremum. Favebat enim tunc Pontifici pene Civitas universa. Sed more suo populus non diu sta-
tu permanxit eodem. Mox enim , ut Præsul ab urbe discedit , ad inseqvendum illum resumti viri-
bus impatienter *Arlembaldus* accedit , fautor emafferens perpetrati flagiti. Iterum ergo adjura-
menta convertitur , invitatis tamen civibus ; & siqvis habebat suspectos , acrius jurate compellit.
Agrestes turbas , & civiles cogit assidue turmas , ad *Widonem* perleqvendum Antistitem , omnem-
qvesum defendam progeniem : & fecisset utique , nisi generosa suorum fidelium restitisset auda-
cia. Sæpe etenim convenerunt , parati subire pro seniore certamen. Nulla interim requies erat
prædonum in diripiendis substantiis Clericorum.

aaaaa

CAPVT

ARNVLPHI
CAPVT XVIII.

Ad quod sedandum litigium contigit tunc temporis, *Maginardum* Episcopum *Silva Candide*, & *Minutum* Cardinalem Presbyterum Romanos Legatos, venisse Mediolanum. Qui dum Apostolico præcepto pacem evangelizarent omnibus, consultè satis provident de nece *Ariadni* fœdus componere. Deinde inter Clerum judicantes & populum, eleganti scripto constituunt, quid fieri debeat in posterum. Nec tamen his contentus *Arlembaldus*, Romam pergens, iterum novum init cum Romanis consilium. Vetus quippe fuit Italici Regni conditio, perseverans usque in hodiernum, ut defunctis Ecclesiarum Præsulibus, Rex provideat successores Italicus, à Clero & populo decibiliter invitatus. Hoc Romani Canonicum esse negant; sed instantius Archidiaconus ille *Hildebrandus*. Qui cum abolito veteri, novum tentaret indicere *constitutum*, palam fatebatur, haud secus sedari posse Mediolanense dissidium, quam Canonicum habendo Pastorem; ad quem eligendum necessarium dicebat Romanum fore consensum. His instructus assertionibus Arlembaldus *Mediolanum* rediens, quod audierat, festinanter exeqvitur. Prius ergo secreto paucos convenit ex amicis; à quibus cum exigeret sponsionem celandi credita, cautè subintulit juramento caulam futuri eligendi Pastoris post discessum præsentis: Deinde die nocteque laborans, Laicos quosque & Clericos eidem juramento reddit obnoxios. Interim tamen à perseguendo Præfulem non defiebat *Widonem* omnisque suæ consanguinitatis affines.

CAPVT XIX.

Archiepiscopus autem, cum tot nequæret imminentes tolerare pressuras, ævo iam maturus, & diuturno languore membris omnibus dissolutus; arbitratus est fore conveniens, ut, quod ille faciendum præviderat, ipse quoque destruendo præveniret: scilicet, ut dignitatem propriam alteri se vivente concederer. Per idem tempus fuerat quidem ex Ordinariis Ecclesiæ Subdiaconis, nomine *Gothefredus*, illius à secretis præ omnibus junctus; qui, ex quo Domini sui penitus erat nientem, in se transferendum omnimodè satagebat honorem. Secreta igitur facta conventione cum eo, Præsul, datis communis pacti ex alterutro Sacramentis, dignitatem depositad præsens, virga cum annulo Cæsari per Legatos directa. *Gothefredus* autem cum iam pridem labore sibi Regis conciliasset affectum, recenti tamen pacto ab eodem Augusto gaudens adeptus est Præsulatum. Veruntamen, juxta scripturæ veritatem, mixtus est dolose risus, & extrema gaudioccupavit luctus. Reprobatus enim à civibus, nullis in locis Episcopii vel ad hospitandum recipitur, ipsi etiam factus invisus agricolis. Hunc Romani, Domino cum Apostolico, jure statim condemnant Canonico, judicii sui literas Mediolanensibus super illo mittentes. Qva elatus *Arlembaldus* fiducia, acris insurgit non solum in illum, verum etiam fautores in omnes, universa flammis ac ferro demoliens; contra quem etiam per vicos & castella multorum exaggerat sacramenta. Unde fit, ut si quando de facultatibus Ecclesiæ aliquid præsumere nititur, ab omnibus penitus interdicatur. Ubivero *Sancta Maria* concendit montem, circumveniente ab urbe exercitu, noctu vix fuga lapsus evasit. Inter eam *Wido* latebatur, se *Gotheredi* delusum insidiis; communis pacti transgressorum illum appellans, Qui cum armis renumere vellet honorem, cum *Arlembaldo* pacis fœdera sociavit. O mens cræ mortalium! Veniens enim illo duce *Mediolanum*, non ad urbem, ut voluit, sed ad *S. Celsi* ducitur *Monastryum*, de privato factus privator. Ibi commendatus custodibus, diebus multis reiedit inglorius, hac etiam vice delusus.

CAPVT XX.

Gothefredus autem pluribus jam coarctatus obstaculis, cum parte suorum aliqua suo se collegit in oppido, quod vulgo *Castillo* dicebatur, inexpugnabile revera præsidium, in cibis ac locis natura munitum. Ex eo saepius erumpentes cum supra modum prædis inhiant ac cædibus: indignati Mediolanenses, proponunt arcem illam protinus expugnare turritam. Nec mora; instruto exercitu, & his, quæ ad usum militis fuerant necessaria, paratis; procedunt omnes, casira metati ad radicem montis. Aberat enim ab urbe vigesimo paulo plus milliario. Mox undique circum vallantes, incessanter oppugnant. Ad hoc etiam cunctos regionis illius instant aggregare iuricolas, diuturnam jurantes obsidionem. Construunt ergo petrarias & omnis generis bellici machinas; fundas quoque & balistas, milleque mortis parant insidias. Oblessis vero ad posse repugnantibus, multa quotidie fiebat crux effusio, adeo, ut in ipsa quadragesimæ venerabilis observantia nulla fuerit humanae cædis abstinentia.

CAPVT XXI.

Hac itaque tempestate, cum rarus in urbe populus, sua frueretur securitate; repentina calamitas improvidam invasit urbem. Horresco referens! Primo nempe quadragesimæ sabbato magno civitas conflagravit incendio. Cumque tunc vehemens flaret turbo ventorum, arietis ignium globis, longe lateque multas combussit ædes, eosque, ut ligna & lapides vorax flamma consumeret.

Aurum

Aurum quoque & argentum, ac metalla cetera, calore nimio liquefacta sunt universa. O quae & qualia domorum aedificia; quamque decora combusta sunt mœnia, de quibus omnibus vix superfuit, præter parietinas quaslibet vel titio minimus. Sed quod est omni damno deterius, plures Sanctorum sunt crematae Basilicæ in urbe & extra. Sanctus ipse Laurentius, vivæ carnis olim cruciatus incendio, iterum se flammis permisit exuri: cuius speciosissima omnium adeo fuit Ecclesia, ut relatu difficile videatur, quæ fuerint lignorum lapidumque sculpturæ, eorumque extrinsecus compaginatae juncturæ; quæ suis columnæ cum basibus; tribunalia quoque per gyrum ac desuper tegens universa Musivum, Oremplum, cui nullum in mundo simile, & O civitas, cuius contemplatione villæ fuerant reliquæ! Heu, heu! Trenes illæ propheticæ int̄ ferre translatae videntur. Ubi autem rumor tam dirus castris insonuit, quamplures illico relicta obsidione eunt, tenues ab igne reliquias & miseram visitare familiam. Arlembaldus vero, cum aliis retenta parte castrorum, perseverat obnoxius quotidianè belligerare non definens. Gotfredus autem tribus jam obfessus mensibus, ubi videt tenuem castrorum exercitum, clam vocare suos, & caute satis, procurat amicos. Cumque Paschales instarent feriae, convenientes in unum, instructa acie protinus in castra consurgunt, impetu & clamore non modico; nec minus obfessi ruptis claustris omni ex parte profluiunt. Arlembaldus autem tanto positus in discrimine, arreptis armis audet cum suis paucis juxta vires obsistere, signifer ipse factus. Et nisi sua suorumque pugnasset audacia, dies illa sibi fuisset extrema. Videntes autem multi paucorum constantiam, ultra recedunt, eduentes secum ab oppido Gothofredum. Hos longè prosecuti sunt Mediolanenses, congregati repente simul & qui in castris fuerunt, & qui in urbe remanserant. Nec à perseguendo diebus aliquot cessarunt ac noctibus; donec in summa constrictos necessitate, coegerunt illos iterum Castrillationem intrare.

CAPVT XXII.

Per haec redeuntes ad Urbem, jurejurando definiunt, Gotfredum nunquam recipiendum; imo alterum de Catalogo majoris Ecclesiæ communiter eligendum. Jam enim migraverat a leculo Archiepiscopus ille Wido, sepultus in loco, qui nominatur vulgo Berguli, ubi post urbis incendium in amaritudine animæ diem clausit extremum. Ab illo etenim dic Arlembaldus omni instat conamine, modo cum Clero, modo cum populo de eligendo agens Episcopo; nova à Romanis accepta licentia, spreta veroregum veteri providentia. Verumtamen major civitatis portio ex clero ac sapiente populo præfæc consuetudini & Regio intendebat honori. Ipse autem, neglectis omnibus & juramento communi, solum Romani illius Hildeprandi auscultabat consultum. Jamque dies illa appropinquabat, quam ad hoc agendum ipse providerat; sancta scilicet Theophaniae solemnitas. Studet ergo solicitare præsentes, vocare absentes, Clericos & Laicos, Abbates & Monachos, amicam sibi non omittens turbam agrestium. Cumques dies instaret festus, factus est multorum in Ecclesia hiemali conventus; illis tamen absentibus, cum quibus istam se facturum juraverat electionem. Celebratis itaque Missarum solenniis, primo concionatus ad libitum, ac multa de justo Pastore memorans, astante quodam Bernardo Legato Romano, eligit Attonem, adhuc tantummodo Clericum ac tenera aetate juvenculum, invito Clero & multis è populo, adeo, ut stomachati recederent ab Ecclesia. Proh dolor! altare Sacrosanctum Ecclesiæ visum est concuti tunc & suo moveri de loco, dum nimia plebis undique comprimeretur instantia. Cumque cum suis Atto ad convivandum Pontificalem concenderet Aulam (fuerant enim jam in mensis ampla parata convivia) inflammati Cives invadunt repente domum, interiora & exteriora scrutantes. Ipse autem electus noviter, cum cameræ unius lateret in angulo, inventus capitur & misericordiatur: demum per suras & brachia à summo ad ima protrahitur. Qui cum staret in Ecclesia, metum mortis altari prostratus; clamante populo ascendit in pulpitum, ibique facto sacramento, in auribus omnium abrenunciavit sedi Ambrosianæ, in præsens & in perpetuum. Interea fautores quique sui diversas fugere per latebras. Ipse etiam Romanus Legatus vix, disceptis vestibus laceratus, evasit. Cæterum Gotfredus & Atto diebus postea multis remanserunt privati pariter ambo, propriis tantum contenti laribus atque substantiis.

CAPVT XXIII.

Ilxum manebat in corde propositum in gestis præsentibus à modo servare silentium; quoniam, nullis auditæ hæc retro temporibus, multorum offendunt graviter animum, sed & dilata modum diutius videntur exceedere: cum Dei sapientia Patris, juxta scripturæ veritatem, in numero, mensura & pondere universa disponat. Veruntamen in me cœnversus, denuo ad liquidum cœpta describere commodius judicavi, ut, factorum agnita qualitate, certius fieret inde judicium. Omnis laus enim atque blasphemia termino cuiusque deputatur negotii. Cum tamen incertum sit, utrum dies nostros, qui Omnipotens est, finem dilatet ad illum: fiat voluntas tua sicuti in cœlo & in terra, Pater Altissime.

CAPUT XXIV.

Igitur auditis his, quæ *Attoni* contingebant: præfatus ille Archidiaconus *Hildebrandus*, cum Cardinalis esset auctoritate, illico (a) juramentum illud violentiæ omnimodis judicavit habendum invalidum. Hunc *Romanus* adeo verebatur Antistes, ut eo inconsulto nihil omnino prælumeret; cum [tamen] patenter sanctum prædicet Evangelium, super magistrum non esse discipulum. Unde factum est, ut collectio Romæ cœtu Pontificum, instanti ipso, *Attonem* justè prædicavit electum, prostrato anathemate *Gothofredo*. Quæ omnia *Hildebrandus* suis litteris saepè jam dicto retulit *Artembaldo*: cui etiam ex suo, quod opulentissimum habebat, a rario, copiosam aurum atque argenti fertur missis pecuniam, ut distributo quibuscunque indifferenter pretio, sautores aggregaret quamplurimos. Non enim latebat illum propheticæ dicta sententia: *A maiore ad minorem omnes avaritiae student*.

CAPUT XXV.

In terea suffraganei sedis Ambrosianæ Pontifices, accepto à Rege mandato, apud urbem convenientes *Novariam*, *Gothofredo* manum consecrationis imponunt, illum, prout quiverant, roborantes; licet præceptio Regia multis dicatur impetrata muneribus. Constat tamen, Regem postea penitus, atque interventorem penitus odisse Legatum. Exinde *Gothofredus* aliqua Ecclesiæ studet occupare castella, uni eorum præsidens, quod nominatur *Brebja*. Qui cum paulo ante *Lencum* invaderet, irruentibus ab urbe militibus, violenter ejicitur, amissio Marchione illo, strenuissimo milite; quem loci incola rupe præcipitantes ab alta, crudeliter trucidant. Dum hæc taliter agerentur, defungitur *Apostolicus*.

CAPUT XXVI.

Cui parvo dierum intervallo succedit *Hildebrandus*, mutato nomine dictus *Gregorius*; in quo revixit Attonis illico spiritus adeo, ut Romam pergens, illius se subderet contubernio. Ipse autem cum priori radicatus inhæreret proposito, indicta Romæ generali synodo, cum suis damnavit *Consecratoribus* *Gothofredum*. Cumq; ad libitum consueisset multa disponere; coram omniciet præsentem laudavit *Attonem* absq; nutu Regio, absente qvōq; Ambrosiano Clero ac populo. Unde inter ipsum & *Cæsar* em videtur ortum, hac lice manente, dissidium; non illius quidem damnatione, sed novo hujus & absq; dato Regis, conceptum electione.

CAPUT XXVII.

Præterea dum *Gothofredus* *Brebja* solius immoraretur præsidio, *Atto*, propria neglecta domo ac patria, *Roma* degebat tantummodo, assiduis Papæ mancipatus obsequiis. Cui *Artembaldo* apud *Mediolanum* totis favebat viribus, die noctuq; laborans, datis etiam ac promissis munib; Insuper omne *Gothofredus* collegium flammis ac ferro persequebatur interdum, nihil intentatum juxta posse relinques; præsertim, cum nec Regia potestati, nec suorum parium aliorumq; multorum cederet ullo modo voluntati, Romana tantum fretus atque contentus fiducia; ad hoc etiam prorum-pens, ut Ambrosianæ consecrationis Episcopos blasphemaret, asserens, Apostolice excommunicatos, quorum omne reprobatur officium. Unde fuit, quod sancto Pentecostes Sabbato fieri prohibuit inutile baptisma.

CAPUT XXVIII.

Poste vero Chrisma sacrum, quod unus illorum Dominicæ cœnæ mysterio, metropolitanæ dixit Ecclesiæ, (sicut mos est, deficiente Pontifice) profulum humi coram omni populo calcibus proculcavit, suum producens in medium, à quo confectum, vel unde venerit, incognitum; ac sic postposita sabbati illius authenticæ à Patribus tradita prærogativa, sexta in albis feria, suum fecit celebrari baptisma; cum scriptura prohibeat transgrediendos, quos posuere patres, terminos. Unde contigit, ut Paschale gaudium suum nesciret lavacrum, ac multo post tempore plures Catechumeni baptismi carerent gratia. Quo errore plurima involvitur multitudo, partim simplici oculo, partim sedata pretio, partim impunitate, quæ patraverat scelerum. Ab ipso enim excidio quicunque scelestus illius adhærebat consortio, carus & insons habebatur ab illo. Quamobrem *Patarinorum* in tantum excrevit numerus atque virtus, in pagis & oppidis, ac quibusdam, duce ipso, in urbibus, ut suorum omnium videretur dominari concivium.

CAPUT XXIX.

Præterea *Cæsar Henricus* adolescens jam factus, ut videt, suæ florem potentiae hoc modo paulatim parescere; initio cum suis consilio, studet hujus ac Romani Præfusilis obstare conatibus. Dominabatur tunctemporis Apuliae Princeps magnus *Robertus* ille Normannus. Inter hunc & Regem dum

(a) Quo scilicet *Atto* abrenunciaverat sedi Ambrosianæ, ut dicitur supra Cap. 22.

dum super hac re discurrenter nuncii : præfatus Papa, habita Romæ synodo, palam inderidit Regi, jas deinde habere aliquod in dandis Episcopatibus, omnesqve Laicas ab investituris Ecclesiarum summoveret personas. Insuper factō anthemate, cunctos Regis (a) clamat consiliarios, id ipsum Regi comminatus nisi in proximo huic obediatur constituro. His diebus qvam lugubre excidium sit passa Mediolanum, mœrens dico, dicens ingemisco, factus mihi met ipsi gravis adeo, ut recedat ab animo sensus.

CAPVT XXX.

Anno Humanitatis Dominicæ millefimo septuagesimo quinto, indictione tertia decima, transactis qua-
tuor à memorato superius incendio annis, propinquante sanctissimæ Paschæ festo, secunda vide-
licet hebdomadis authenticæ feria, miseranda civitas divinam persensit iracundiam, experta,
qvam sit horrendum incidere in manus Dei viventis. Celebratis namq; missarum solemnii, vergente
jam sole, in urbis apparuit medio densæ fumus caliginis, flante ventorum violentia nimia per aërem
volitans : qvem seqvebatur vapor flammivomus, inter cœlum & terram universa consumens. Siq; vi-
dem plures velut fulmina faces, ab illo maximo & inextinguibili erumpentes igneo globo, totam lubi-
tomicuerunt per urbem, ut qvod civitatis residuum jam dictum illud evaerat incendium, totum pene
flammis adureretur præsentibus, solertenus conqvassatum. Nectamen ex toto illis ardor iste pepercit
edibus, qvæ prius incensæ, multis jam fuerant reparatae sudoribus. Quid enim dici valet ulterius, qvam
qodignis hic instar fuit per omnia suprataxati alterius : hoc tamen crudelior, qvod multo plures ac
majores combussit Ecclesiæ, illam scilicet æstivam & mirabilem Sanctæ Virginis Teclæ ; B, qvoq; ve
Nazarii, nec non Protomartyris Stephani, cæterasq; qvamplures, qvarum parietinæ annis
apparebunt, ut reor, plus mille. Inter qvas aliarum mater S. Dei Geneticis hiemalis Basilica,
dolor iterumq; dolor ! exuri permittitur, collapsis funditus parietibus : cujus Sacrosanctum
altare non appetat qvantum fuerit aut qvale ; lamina vero aureæ liqefactæ sunt nimio præ calma-
te. Sed mille talenta auri librorum damno nequeunt comparari. Hanc qvidem peccata nostra
merentur ærumnæ, qyoniam Sancti Spiritus offendimus in nostro felle columbam. Contra
divinum namq; mandatum sanctum est canibus in nostro tempore datum, & spiritualis marg-
ita porcorum jacet pedibus indecenter attrita. Reliqvorum non est numerus delictorum.

CAPVT XXXI.

Igitur inter tot angustias tantosq; dolores, cum tota foret in urbe luctus omnis ordinis atq; ve
latatis cuiusq; sexus ; solius Arlembaldi intrepidus perleverabat & inflexibilis animus : siq; vi-
dem, instantibus Paschalibus albis, baptismi fatigebat, sicut in præterito fecerat anno, igno-
to Chrismate inchoare mysterium. Cumq; Cardinales Ecclesiæ, qvorum intererat sacrare fon-
tes, nollent contra solitum agere : ast illoco Luitprandus qvidam Presbyter, nuncupatus à proge-
nitib; Ecclesiæ vernula, qvi jussu ac virtute illius, ordinariorum usurpavit officium, veni-
entes inconsultè baptizans. Et hæc qvidem violentia, recenti juncta civitatis incensæ memoria,
qvamplurimos offendit graviter cives, præcipue milites, præ oculis habentes, qvod qvidam Ro-
manus ait tironibus : Servi emti are, duræ non possunt ferre Dominorum imperia ; nedum nos, Quirites.

CAPVT XXXII.

Unde factum est, ut simul diebus aliquot extra urbem exeuntes, suam sibi jurarent magna plebis
cum parte, justitiam, & S. Ambrosii honorem, ac domo Regis accepturos sese pastorem.
Cumq; ingredierentur communiter urbem, Arlembaldus, ut semper consortis impatiens,
stantibus sibi concionabatur morte suo. Ut vero cohære furorem ultra non voluit, factò cum
suis impetu & clamore, festinanter arripit arma, vexillum, qvod S. Petri dicebat, dextera gerens ;
& contra cives, dum parte surgunt ab omni, armatus prorupit in medium. Quem in mo-
mento ac prima fronte bellitanta adversariorum oppressit incurso, ut nihil memorabile posset ab
illo fieri. Ubi vero circumventus est undique, illoco crebris configitur iictibus, dictoq; citius
moriens corruit, comitatu ejus exiguo circumqvave dilperlo. Cujus cadaver exanime prostra-
tum humi, dispersis prorsus exiit indumentis, nudatumq; fustibus undique tunditur atq;
petris ; ut, qvivens multis terrori fuerat, multorum subjaceret lusibus moriens : & cum gesta-
retur humanus, nulla illum exeqviarum est prolecuta devotio. Post hæc Luitprandus ille jam
dictus Presbyter, dum fugeret, inventus, auribus truncatur & naso ; ut, qvi alienum præsumsisset
officium, qvod habere videbatur, amitteret. Apparet ergo liqvidio vera esse dicentis assertio :
difficile est, ut bono peragantur exitu, qvæ malo sunt inchoata principio. Eadem hora post hoc insigne
trophæum, cives omnes triumphales personant hymnos Deo ac patrono suo Ambrosio, armati
adeuntes ipsius Ecclesiæ. In crastinum simul cum Clero Laici in letaniis & laudibus ad Sanctum
Aaaa a 3 denuo

(a) Forte : damnat.

denuo procedentes Ambrosium, reatus præteritos confitentur. Absolutione vero à sacerdotibus, qvi præsto aderant, celebrata, reverlus est in pace populus universus ad propria.

CAPUT XXXIII.

Hic jam appareat schismatis hujuscemque terminus, decem novemque per annos semper ab ipsa radice pullulando protensi; Unde *Patarinum* primo processit vocabulum, non quidem industria sed causa prolatum. Cujus idioma nominis, dum in quodam Etymologiarum tomo nuper plura revolvem, ita scriptum reperio: *Pathos Græce*, Latine dicitur perturbatio. Unde juxta meæ parvitatè ingeniolum statim conjicio, quod *Patarini* possunt Perturbatores rite nuncupari; quod plane rerum probat effectus. Veruntamen siquando quis probatiori fuerit interpretatus sententia, concedo equidem tota mentis tranquillæ convenientia; dummodo nomen concordet operi, opus vero respondeat nomini: quoniam à primo hujus iōno vocabuli error populorum, impetusque bellorum; turbo quoque ventorum, ac vehementius solito turbavit mundum frequentia combustionum. Quod multarum calamitatum experimento, omniumque malorum probatur omnimodis incremento.

CAPUT XXXIV.

Præterea, quoqvo modo se habeat Etymologia vocabuli, quæcunque tamen sunt à nobis, re super hac in præteritis recitata, nemo sanæ mentis arbitretur, impugnando veritatem aut repugnando justitiae fore [esse] prolatæ, cum neutrum liceat. Siqvæ enim sunt aliorum benedicta vel acta, non improbamus; nec illo modo dissentimus ab illis omnibus, qvi venales reprobat confectiones & sacrorum incotinentiam ordinum: ea tamen ratione, ut à Paulo non discrepemus auctore. Ait enim: *omnia honeste & secundum ordinem fiant*. Cui & consonat lex illa Mosaica: *Juste, quod justum est, prosequeris*. Quod neqvit aliter compleri, nisi sua singulis quibusque serventur jura ordinibus ac personis. Dipsertita enim sunt Clericorum & laicorum, eorumque inter semet ipsos officia; quemadmodum in uno corpore multa quidem sunt membra, non autem eundem actum possident omnia; quæ si impedianter alterutro, corrumpitur omne corpus. In sancta igitur Ecclesia, hoc est, in Christicorpore, necesse est, ut justo pensentur omnia moderamine. Clerus atque populus suo quisque fungatur officio, præfixo sibi contentus limite, dicente Domino: *Circumdedi mare terminis & dixi; huc usque venies & ultranor procedes*. Cor humanum est mare. Ipsi vero Episcopi suis plane vacent negotiis, providentes bona non tantum coram omnibus hominibus, ne dicatur de illis: *rumina populi sacerdotes mali*. Quod si negligentes extiterint, scandalizatur populus. *Ve autem illi, per quem scandalum venit*. Certissime enim vae erit illis, vae omni crudelius, si eorum culpa plebs, in Clerum zelans insurget ulterius.

CAPUT XXXV.

Hæc talia perseqvendo paulatim, velut quasdam per rimulas aliter quam usque modo viderim, à longe prospicio; cumqve præteritis præsentia, scriptis scribenda, confero: rubore perfulsus fideliter erubesco nec barbarismos in verbis egisse, sed aliorum qualibet dicta vel facta temere judicasse confundor; cum soli Deo cordium revelentur occulta. Beatus tamen trepidanti mibi *Panus* occurrit, qvi primo blasphemus ac persecutor fidelium, plus cæteris postea laboravit Apostolis, cæcatus, ut videret. *Petrus* vero negavit, ut crederet; *Thomas* dubitavit, ut certior fieret. *Villorius* quoqve Rhetor & ætatis proœcta, Simpliciano est converitus auctore. *Augustinus* autem philosophus Ambrosio doctore salvatur; pluresque alios de malo in bonum, de bono in melius, nunc cito nunc sero, novimus esse mutatos. Hæc est enim mutatio dexteræ Excelsi. Spiritus Domini ubi vult spirat; & cui vult, miseretur, & quem vult, inducat Altissimus: quoniam neque volentis neque currentis, sed miserenis est Dei. Tibi igitur, Christe, delictum meum cognitum feci & injusticias meas non abscondi. Dixi: eloqvar adversum me injusticias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. De cætero cogitationes, locutiones, actiones nostras, quæsumus, Domine, & aspirando præveni & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra operatio & à te semper incipiat, & per te cepta finiatur: cui sit honor & gloria nunc & semper, & per omnia seculorum secula.

ARNVLPHI LIBER VI. HISTORIÆ MEDIOLANENSIS.

CAPUT I.

Quoniam in prima fronte præsentis opusculi, nostri temporis gesta sum narrare pollicitus, absqve mendacii nota filere non valeo; præsertim cum sciam, lege cautum esse Mosaica: si nolueris polliceri, absqve peccato eris. Ut autem recto narrationis incedam tramite, necesse est, res gestas, prout sunt, ordinate describere,

CAPUT

CAPVT II.

Predictis igitur rebus non plane compositis sed involutis utcumque, saepe jam dicti Mediolanenses pro petendo Episcopo ultra montes *Henrico* Regilegationem dirigunt, mandantes *Arlem-baldi* interfectionis triumphum. Qvo cognito latatus est Rex ille supra modum, quemcunque vellent, se daturum promittens Episcopum.

CAPVT III.

Erat tunc temporis inter Regem & Saxones lis accerrima valde, cuius ratio non est nostro discutienda judicio. Veruntamen gens illa admodum ferocissima, in rebellionem prorumpit aper-tam sub *Ottone* duce, adeo, ut facta congressione partis utriusque, plusquam viginti milia hominum referantur occisa. Arrisit tamen *Henrico* victoria.

CAPVT IV.

Post dies hos ad secessum residens Dux *Gohefredus*, Gohefredi filius, gladio confossus interiit, conjugi relicta *Matilda*, Bonifacii ac Beatricis admodum clarissima filia.

CAPUT V.

Intra Legatis Mediolanensium ex Clero & populo, re praefata Regem adeuntibus, *Thedaldus* quidam Mediolanensis Ecclesiae Subdiaconus, capella militabat in Regia: cui Rex, multa volvens & revolvens consilia, proprio tandem indulgens arbitrio, Ambrosianum contulit Praefulatum; posthabita *Gohefredi* illius, ad huc viventis, investitura & uncione, *Antonis quoque* Romae degentis electione. Quid plura? suscepimus est Praeful ille à Clero & populo, ut pote novarum rerum avido; cui etiam suffraganei ii ipsi, qui *Gohefredum* consecraverant, manum benedictionis imponunt. Res quidem mira & cunctis retro temporibus inaudita, ut urbis unius uno electo Antistite, facto altero, uno eodemque tempore tertius erumpat.

CAPVT VI.

Erat tunc temporis Romae vir quidam nomine *Centius*, qui propter injuste possessas Ecclesias facul-tates Papae *Gregorio* semper fuerat infestus. Hic autem pravo usus consilio, nocte ipsa nativitatis Dominicæ, cum in Basilica Sanctæ Theotocos Pater ille Sanctus, matutino juxta morem per-acto, nocturnæ missæ celebraret officium: cum gladiis & fustibus & conjuratione magna suorum, ene nudo ad capiendum Papam violenter intravit Ecclesiam instar *Jude* Dominum nocte tradentis. Cumque per diversa quæsisset, invenit juxta Altare Domini sacerdotem, mysteriis salutaribus inten-tum; in quem violenter irruens, distrxit & dilaniavit quamplurimum, impositumque eqvo suam us-que perduxit ad turrim, clausum custodiens. Facto autem diluculo, cum tam detestabile d. spliceret o-minibus facinus, consurgunt omnes in arma Romani, gyantes turrim; nec à bello desistunt, donec agnum lupi fauibus eripiunt, turri dirupta & omni facultate direpta. Veruntamen humanæ divina successit ultio: siqvidem anno illo mortuus est *Centius*, taucium ulcere suffocatus, quemadmodum *Judas* proditor nexu laquei strangulatus.

CAPUT VII.

Per idem tempus quorundam suorum hortatu contra Papam Rex erexit se *Gregorium*, adeo, ut nullam ei deferret obedientiam. Praeful vero Romanus saepe numero paratus ignoroscere, clemen-titer universa tentabat, Regiam diu præstulando ac multis modis invitando conversionem. Cum quenihil omnino proficeret, illum cum suis fautoribus à S. Matris Ecclesia segregavit communicando luminibus; tenore tamen futuræ dignæque conversionis proposito. O infelicia tempora, in quibus, nostris exigentibus culpis, contra se ipsam pugnare Sancta videtur Ecclesia; quam Ve-ritas, sic ipsam laudando, commendat: *Una est columba mea, amicamea*. Quæ si una est & amica, quomodo scissa sibimet debeat inimicari, non invenio. Jesus Christus duo sunt unius persona vocabula. Unde liquido comprobatur Reges ac Sacerdotes, Christos scilicet, Christi uniri uno debere consensu. Quid ergo? numquid errat uterque? absit. Romana certe nunquam errasse prohibetur Ecclesia, ex quo divina voce dictum est Petro: *Simon, ecce Satan as expetivit vos, ut vibraret, sicut triticum. Ego autem proterogavi, ut non deficiat fides tua*. A Romana ergo Ecclesia quicunque dissentit, non est revera Catholicus, quemadmodum Beatus ait Ambrosius. Nonne ipsi hæc ista legerunt Episcopi? & filegerunt, cur contra Romanum Praefulem adunati, *Placentia* de ore proprio conjuraverunt? Cur postea Papæ convenientes, injustum anathema, in invalidum sibi [ei, Papæ scilicet] conclamaverunt, justa prophetia, non injustitia, scilicet! clamores facientes: unde justissime Apostolico sunt mucrone perfossi. Respondeat, ut solent, Regio se obedisse mandato; Sed quid dicit scriptura? obediens oportet Deo magis quam homi-nibus;

nibus : item , reddite , quæ Casari sunt , Casari , & quæ sunt Dei , Deo. Et alibi : Deum timete , Regem honorificate.

CAPUT VIII.

Non ergo debetur honor Regi , nisi præcedente justo timore Dei. Eodem tempore gens Teutonum illa barbarica , præcipue Duces BERTALDIUS , RODULPHUS & WELPHO , cum Comitibus & Episcopis , cognita excommunicatione Romana à Regio prorsus se subtra- xere confortio , in nullo communicantes. Insuper in multis accusantes eum criminibus , in- famia denotabant. Interim consilio Sanctissimi Clunensis (a) Abbatis ; Agnetis quoque Regine matris ; nec non sapientissimæ jam dictæ Mathilda statuit generale colloquium inter ipsos , Re- gem & Apostolicum , pacis & justitiae causa. Cumque exiret ab urbe papa , profectus Ala- maniam , Mathilda tretus juvamine venit Italiam. Cumque moraretur ibidem , multis ab ea cumulatur honoribus ac hominibus. Cui festinanter occurrit Henricus , declinans statutum in patria sua colloquium. Fuerat Comitissæ oppidum , Canossa nomine , multis mœnibus ac loci natura circumquaque munitum , inexpugnabile revera præsidium ; ubi præsidente Apostolico , Rex nudis incedens pedibus , humi prostratus , post multas lachrymas promeruit veniam , suo- rum juramenta fidelium pæcta confirmans , sub conditione justitiae facienda. Sic Mathilda magna prudentia consolidata sunt pacis eorum fœdera , invitis Episcopis ac in lite manentibus.

CAPUT IX.

Cum autem se sentiret Mediolanensium populus Thedaldi Præfulis societate culpabilem , divi- na prohibente lege communicare excommunicato : missis Domino Papæ Legatis , solatio- nem implorant. Cui Legationi IPSE EGO INTERFUI , de præteritis satisfaciens , de fu- turo castigari promittens. Papa vero sapienti usus consilio . Venerabiles Viros , Lucensem & Ostiensem Episcopos direxit Mediolanum , datus veniam quibuscumque polcentibus. Ubi vero ingressi sunt urbem , lætata est civitas universa : qvitoto illo triduo , confluentibus ad eos ci- vibus divina prædicantes eloquia , cunctos absolventes , benedicunt universos. Qvod Thedal- dus indigne satis ac moleste tulit adeo , ut seditionem in populo bellumque conaretur infere- sed minime valuit. Interea præfati Duces Teutonici , Comites & Episcopi illis in partibus , de- sua interie ipsos concordia ac statu Regni ; novi quoque Regis electione , quotidie tractare non cessant , afferentes , Henricum multis ex causis Diadematè indignum.

CAPUT X.

Ad ultimum vero convenientes Maguntia , omnium consensu Rodulpho Duci Regni jura com- mittunt , jurejurando cuncta corroborantes. Qvo auditio Rex Henricus (degebatur enim Papia) congregans omnes , quos habere poterat Longobardos , Veronam proficisciatur , ibique valefaciens omnibus , reverius est in patriam , pro tuendo Regno usque ad mortem pugna- turus. Papa vero diebus aliquot moratus in Italia , Romanam rediit , ingenti Romanorum sulceptus lætitia.

CAPUT XI.

Primus pontifex Mediolanensis Ecclesiæ extitit Beatus Barnabas Apostolus Jesu Christi , sicut B. Hieronymus inter ea , quæ scripsit Cromatio & Elodoro , testatur , dicens : Barnabas , qui cum Paulo verbum ministravit , primum in Roma Christum prædicavit , & post Mediolani Episcopus factus est. Qvod etiam B. Barnabas fuerit primus Pontifex Mediolanensis Ecclesiæ , B. Dorothenus , B. Dionysii Areopagitæ discipulus in libro , quem composuit de Apostolorum actibus , afferuit manifeste. In ipso namque Apostolo Mediolanensis Ecclesia est fundata. Legitur etiam in antiquissimis Historiis , quæ hodie habentur in civitate Mediolanensi , qvod ipse B. Barnabas de Romana civitate ad urbem Mediolanensem transtulit se ; & in ea verbuni vitæ prædicans , ci- vies Mediolanenses ad cultum Christi convertit ; & fide & moribus informavit. Et Brixienenses ci- vies per Anathalonem suum socium , ab ipso Apostolo ad eos missum , similiter convertit. Qui quidem B. Barnabas , Mediolanensium Metropolitanam ordinans , sanxit , ut ipsa principialis culminis sedes , & aliarum in sua provincia Ecclesiarum Metropolis perpetualiter habere- tur. Ac primum post ipsum , præfatum Anathalonem præfecit & consecravit in Archiepiscopum Mediolanensis Ecclesiæ , & primum Episcopum Ecclesiæ Brixienis , committens sibi curam simul utriusque Ecclesiæ.

Explicit Historia rerum Mediolanensium , ab Arnulpho composita.

XXXVI EX-

(a) Hugonis Cluniacensis Abbatis. Vid. Tom. I. Scriptorum Brunsvicensia illustrantium pag. 669.